11
6
292
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE ◭ FIRENZE ◂

7452

# HISTORIAE
# JURIS ROMANI
## LINEAMENTA.

QUIBUS IN ACADEMICA INSTITUTIONE UTERETUR,

ADUMBRAVIT

**ADR. CATH. HOLTIUS**

JURIS PROFESSOR IN ACADEMIA ULTRAJECTINA.

EDITIO ALTERA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD C. VAN DER POST, JUNIOREM.

1840.

11. 6. 292

Digitized by Google

# HISTORIAE
# JURIS ROMANI
## LINEAMENTA.

*Armorum, legumque parens; quae fundit in omnes*
*Imperium, primique dedit cunabula juris.*

Digitized by Google

# HISTORIAE

# JURIS ROMANI

## LINEAMENTA.

QUIBUS IN ACADEMICA INSTITUTIONE UTERETUR,

ADUMBRAVIT

ADR. CATH. HOLTIUS

JURIS PROFESSOR IN ACADEMIA ULTRAJECTINA.

---

EDITIO ALTERA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

---

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD C. VAN DER POST, JUNIOREM.

1840.

TYPIS C. A. SPIN.

# AD JURIS STUDIOSOS,

## QUI IN ACADEMIA ULTRAJECTINA SUNT, ERUNT,

# PRAEFATIO.

Vobis, commilitones, qui historicas nostras lectiones sequimini, de usu et ratione hujus libelli, vestra causa conscripti, mihi praedicendum est. Nam praeter alias et obvias cujusque *compendii*, ut appellari consuerunt, commoditates, est quaedam insignis rei utilitas, quam vobis nuncupandam atque commendandam esse puto. Poteritis scilicet hujus libri ope, si me audietis, ad scholas nostras accedere praeparati. Juris loca, quorum historica explicatio quaque lectione versabitur, cum Veterum testimoniis, typis expressa habentes, tum de quaestionibus plerisque gravioribus quasi praemoniti, quae quotidie enarrabuntur hoc pacto facillime et capietis et excipietis, utique si domesticam meditationem eamque assiduam adhibebitis. Hoc igitur vos ne facere nolitis obsecro, obtestor vero, si id non facietis, neque hunc librum, neque scholas nostras, vobis quicquam profuturas esse. Non enim illo Historia juris Romani vobis offertur, cumulate scripta, sed, quod titulus signi-

ficat, *Historiae juris Romani lineamenta.* Imaginem tantum adumbrare volui, ad cujus ductum solidior effigies exprimeretur. Itaque ne aut umbram sine corpore spectetis, aut materiam teneatis sine forma, cum libro lectiones, cum lectionibus librum conjungendum esse, intelligitis: utrumque vero meditatione vestra complectendum: quod si feceritis, utiliter, ni fallor, operam et otium vestrum hisce studiis impendetis.

De quaestionibus praeterea, omnibus prope juris locis adjectis, monendum est, eas exempli atque exercitationis causa adjectas esse, non ut studia vestra his quaestionibus concluderentur. Earum aliae faciles sunt, quae e perpetuae expositionis contextu ejusque adnotatione, si quis ad singula studiose attendat, explicari possunt; aliae vero difficiliores, superabiles tamen; aliae denique, pauciores quidem, quarum probabilis solutio vix sperari posse videtur. Quae in genere secundo et tertio sunt, eas ideo proposui, quo et in posterum, scholis nostris, non etiam studiis relictis, meditandi ac pervestigandi materiam promtam atque paratam quasi ad manus haberetis. Omnibus tamen illis quaestionibus, ut dixi, res minime absolvitur. Imo hoc maxime speravi cum illas literis mandarem: fore, ut meo qualicumque adjumento vos ad similia examina, in jure cum Romano, tum patrio atque Europaeo, vestro marte instituenda, excitaremini. Nimirum nullus vestrum nescit quamcumque artem longam, imo infinitam esse,

ideoque per totam hominis vitam, cujus sane brevis summa est! perpetuo discendum esse. Atqui, etsi hoc non aeque vobis persuasum sit omnibus: nihil jucundius est, nihil adeo felicius, quam discere. Est ea sola vivendi ratio, quam Pomponius noster in octavum et septuagesimum annum aetatis optimam ducebat: semper *προσμαθεῖν*. Mihi vero illud *προσμαθεῖν* in nulla disciplina majorem voluptatem habere videtur, in nulla simul tantopere cum quotidiana et vulgari utilitate conjunctum esse, quam in jurisprudentia historica. Quod si id nunc ambitiosius vobis dictum esse videatur, posthac fortassis idem experiundo cognoscetis.

Ad libelli nostri usum porro attinet, dicere de locis, et interpretum libris, passim citatis. In illis copiosus, in his parcus esse volui. Fontibus abundari non potest; in scriptis vero interpretum citandis delectu opus erat et continentia. Omnium omnia volumina quasi ab umbris excitare, bona malis permixta, perversum judicavi et inutile; utilia vero omnia, neque hujus libri, cui non brevem esse non licebat, neque doctrinae meae modus, capiebat. Itaque id potissimum egi, ut non citarem nisi quae probe nossem, quaeque utiliter consuli existimarem; novissimos autem auctores antiquioribus anteposui, tum quia hi difficilius adeuntur, tum quod illis superiorum lucubrationibus adjuvari, et, per seculi nostri felicitatem, ad puriores fontes adire contigit: unde fieri debuit, ut, nisi ingenii atque doctrinae

magna esset disparitas, longe fructuosiores comperirentur. Nec tamen facile scriptores citavi nisi laudati atque probati nominis. Quod autem vix alia nomina in hoc genere inveniatis, commilitones, quam Germanica, id apud vos non excusabo. Germania enim floret jurisprudentiae Romanae studiis: apud alios populos haec studia jacent. Si tamen aliquid mihi ex Gallia, aut ex Belgica nostra, aliave regione qualibet innotuit, id neutiquam suppressi. Tantum dissertationibus nostris academicis citandis consulto abstinui: non quod istiusmodi juvenilia specimina contemnam, quaedam enim novi in eo genere diligentiae atque elegantiae laude spectabilia, sed cum in Bibliothecis cujusque Academiae quotannis deponi soleant, ibique facili negotio inveniri et adiri possint, earum copiosa mentione has paginas onerandas esse non putavi.

Haec sunt, quae de priori hujus operis parte, in alia Academia quondam praemonita, vobis quoque utilia fore judicavi. Partem alteram quo minus adscriberem, prohibuit primum reipublicae conturbatio, ad meas quoque privatas res pertinens; accessit postea valetudo parum stabilis; nec tamen spem abjeci consiliumve efficiendi ut haec Historia, nunc emendatius edita, omnibus etiam numeris expleta quandoque habeatur. In praesentia vos utiminor hisce, amici, ac mihi studia vestra cara esse vobis persuadete.

Scripsi Trajecti ante ferias hibernas CIƆIƆCCCXXXIX.

# HISTORIAE JURIS ROMANI
# LINEAMENTA.

## PROOEMIUM.

1. Historia juris Romani est rerum Romanarum quibus juris fata continentur, ut connexae sunt, explicatio. Juris originem requirit, incrementa ejus atque decrementa ante oculos ponit. H. J. R. definitio. Utilitas. Partitio.

2. Utilitas ejus cum in antiquitatis studio universo, tum in jurisprudentia, maxime vero in juris veteris reliquiis, quibus Justiniani leges constant, interpretandis cognoscitur.

3. Est autem duplex: externa et interna. Externa fontium historia, interna juris loca, partes, regulae, sententiae continentur.

4. Utraque bipartita est. Habet enim fontium historia partem a reliquis separandam, historiam jurisprudentiae; juris autem loca sunt vel publici vel privati. Itaque in quatuor capita historia nostra describi poterit.

5. Petitur historia juris Romani ex antiquitatis reliquiis; juvatur etiam studium ejus scriptis Recentiorum. Fontes.

6. Reliquiae illae sunt vel codices sive libri manu scripti, vel monumenta sive inscriptiones, quae in nummis, marmoribus, et tabulis aeneis leguntur.

7. Libri sunt vel jureconsultorum, vel eorum qui juris peritiam non profitebantur, qui vulgo classici auctores dicuntur. Utroque genere caute utendum est.

8. Namque classici auctores juris instituta aut leviter perstringunt, aut imperite referunt (*a*). Juris autem consultorum scripta pleraque sunt interpolata.

Scriptores. Graeci.

9. Ex Graecis scriptoribus in primis in censum veniunt Dionysius Halicarnassensis et Plutarchus; sed peregrini erant et de rebus scripserunt tempore nimium remotis.

De Dionysio scripsit *P. F. Schulin. Dissert. inaugural. de Dionysio Halicarnasseo historico, praecipuo historiae juris Romani fonte. Heidelberg* 1820. Discedit ab eo Niebuhr, in historia Romana passim. — De Plutarchi fontibus et auctoritate consulatur Heeren, in commentationibus societatis Göttingensis. Minor est illa in Romanis rebus quam in Graecis.

10. Polybius sui temporis historiam tradit; sed ea quae de republica Romana scripsit partim deficiunt. De bellis civilibus Appianus, de Caesarum temporibus Dion Cassius potissimum commemorarunt.

Scripsit *de historicis Polybii laudibus. Ant. van Goudoever. Trajecti* 1808. Fragmenta ejus, aliorumque, nostra aetate plura accesserunt, quae identidem Angelus Majus edidit; grandiora in *Scriptorum veterum nova collectione. Romae* 1827.

11. De Justiniani rebus habemus auctorem copiosum, sed testem ambiguum, Procopium. Perplexe quoque de legibus Imperatoris refert Joannes Malala. In universum juris historiae utilior est Joannes Laurentius.

---

(*a*) Exempla sunt apud Livium XXXIV. 2. et XXXIX. 9. Horat. Serm. III. II. 211. Gell. I. 6. IV. 3. Senecam de benef. VI. 5.

12. Latinis scriptoribus plura debemus et certiora. In his Cicero omnes reliquos rerum copia et auctoritatis pondere vincit. Hujus unus Topicorum libellus plura de jure docet quam multi libri Liviani. Nec tamen historici contemnendi sunt. Sed difficile est Suetonium cum Tacito conciliare, neque Historiae Augustae scriptores diligentiae laude commendantur. Latini.

13. Etiam philosophi juris argumenta attigerunt, veluti Seneca. Plura tamen, imo multa, reperiuntur in libris grammaticorum, Varronis, Festi, Gellii: ex quibus priscorum verborum vis, et leges quaedam duodecim tabularum innotuerunt. Proximum genus est interpretum veterum qui aliorum opera explicarunt, uti Ciceronis scripta Asconius et Boëthius, Virgilii Servius.

14. Denique nec poëtae praetermittendi sunt. Horatio et Juvenali saepe utemur; Plauti vero utilias anceps est *(a)*, Terentii exigua.

15. Ex omnibus tamen quotquot exstant, ex quibus mores et instituta populi Romani aliqua ex parte cognoscuntur, licet ceterum a juris argumento remotissimis, juris Romani historia proficere potest. Exemplo sunt Rei Rusticae scriptores, Naturalis Historia Pliniana, et patres ecclesiae.

16. Alterum genus scriptorum eo praestat, quod periti erant ac diligentes; sed eorum opera tam lacera ad nos pervenerunt tamque adulterata, ut de fide et auctoritatè quaerere non audeas. Tales sunt Justiniani compilationes, et lex Romana Visigothorum quae vulgo ***Breviarium*** appellatur. Juris libri.

17. Pauca tamen quaedam excipienda sunt, quae nisi

*(a)* *De Plauti auctoritate ad faciendam rerum antiquarum fidem* scripsit *Rost. Lipsiae* 1816.

magis integra, at sincera aetatem tulerunt. Namque *Ulpiani fragmenta*, et qui nostra memoria reperti sunt, *Gaji commentarios*, item Vaticana palimpsesta, eodem prope modo accepimus atque classicorum opera. Idem dici potest de plerisque libris Theodosiani Codicis, et de Graeca Theophili paraphrasi.

Istos historiae nostrae fontes puriores etiam tirones in promtu habere debent.

Ulpiani editio longe curatissima est quae Hugoni debetur, quinta, Berolini 1834. Recognovit eam nuper et auxit Eduardus Böcking. Bonnae 1836.

*Gaji Institutionum commentarios IV. Secundum edidit J. F. L. Goeschen. Berolini* 1824. Postea *Gaji et Justiniani Institutiones. Klenze et Böcking. Berolini* 1829. Novissime accesserunt *Gaji Institutionum commentarii qaattuor. ad exemplum a Jo. Frid. Lud. Goeschenio, Berolini anno* 1824, *editum recogniti atque emendati. Bonnae* 1837. Libri primi interpretatio perpetua est: *Adnotatio ad Institutionum Gaji commentarios, auctore C. J. van Assen. Lugd. Batav.* 1838. Libri quarti: *Everardi Dupont. Disquisitiones in commentarium quartum Institt. Gaji. Lugd. Batav.* 1822. Item: *Gaji Instit. Commentarius quartus: recensuit etc. A. G. Heffter. Berolini* 1827.

*Vaticana juris Romani fragmenta* edita sunt Parisiis 1823, plenius Romae 1824, deinde commentario ornata ab Al. Aug. de Buchholtz: Regimonti 1828.

Theodosianus codex exstat in *Jure civili ante-Justinianeo a societate Jureconsultorum curato. T. II. Berolini* 1815. Recens reperta composuit Wenck: *Codicis Theodosiani libri V. priores. Lipsiae* 1825, aliaque denuo Augusta Taurinorum exspectantur, quae brevi editurus est Comes Baudi de Vesme; universi autem

*Corpus Juris Romani antejustiniani curaverunt Professores Bonnenses. Bonnae* 1835. III. Fascic. 4°. Ex eodem genere est *Monumenta juris ante-justinianei praecipua extra Pandectas et Codices tam Justinianeum quam Theodosianum servata. Paris.* 1838. II. Voll. 8°.

Theophilum copiose edidit Reitzius, Hagae Com. 1751. II Voll. 4°. Commodior editio desideratur. Utilis est versio germanica auctore Wüstemann: Berolini 1823.

18. Petitur deinde juris Romani historia ex monumentis prope omnibus ex quibus Antiquitas Romana cognoscitur; maxime vero ex legum tabulis, et negotiorum, veluti testamentorum, donationum, contractuum. Inscriptiones.

19. Hujus generis primaria collegit novissime Spangenberg: *Juris Romani tabulae negotiorum solemnium modo in aere, modo in marmore, modo in charta superstites. Lipsiae* 1822. Idem *Antiquitatis Romanae monumenta legalia ex adversariis Hauboldii restituit. Berol.* 1830.

Notanda est quoque: *Inscriptionum Latinarum selectarum amplissima collectio ad illustrandam Romanae Antiquitatis disciplinam accommodata: edidit Jo. Casp. Orellius. II. Voll. Turici* 1828.

20. Inter legum vero monumenta excellunt tabula Heracleensis, et legis de Gallia Cisalpina fragmenta: de quibus postea dicemus singulatim.

21. Hi sunt fere historiae juris Romani fontes; ex quibus tamen illa plena et perfecta non redit, sed inops et multis partibus deficiens. Nimirum in qualicumque historia, praeter testimonia scripta, conjecturis plerumque et rerum similitudine adquiescendum est, nec his usque sufficientibus. Multo magis id exspectandum

est in morum et vitae privatae cujusque populi historia, cujusmodi est historia juris civilis.

22. Etiam veteres jureconsulti historiae et antiquitatibus juris operam dare solebant, cujus rei exstant testimonia in scriptis eorum, et apud alios auctores (*a*). Habemus adeo fragmentum historiae juris externae, quod Pomponio tribuitur, in L. 2 D. *de orig. jur.*, internae autem loca multis juris partibus praemissa sunt (*b*).

Scripta Recentiorum.

23. Recentiores serius ad eam rem animum appulerunt: nam aurea demum Cujacii aetate materies historiae praeparari coepit, opera cum ipsius Cujacii, divini ingenii viri, tum Brissonii et Jacobi Gothofredi; multo vero post ***Historiae Juris*** prodierunt Gravinae, Hoffmanni, Brunquelli, et Heineccii.

24. Heineccii ***Historiam juris civilis*** utilem reddidit ***Observationibus*** suis Jo. Dan. Ritterus (Argentorati 1765); ejusdem ***Antiquitatum syntagma***, quo interna juris historia quaedam continetur, purgavit Chr. Gottlob Haubold. (Francof. ad Moen. 1822.)

25. Non minus vulgatum opus in Academiis nostris est Joannis Augusti Bachii ***Historia jurisprudentiae Romana. Editio sexta. Novis observationibus auxit Aug. Corn. Stockmann. Lipsiae*** 1806. Re litteraria abundat.

26. Veram autem juris Romani historiam primum scripsisse videtur Hugo, sed Germanice:

***Lehrbuch der Geschichte des Römischen Rechts, bis***

---

(*a*) Gell. XIII. 12. Legatur ***Dirksen. Versuche zur Kritik und Auslegung der Quellen des Römischen Rechts. Leipzig.*** 1823: pag. 203.
(*b*) Vid. Gaj. I. 111. II. 101. IV. 11.

*auf Justinian, vom Geheimen Justiz-Rath Ritter Hugo in Göttingen. Elfte Auflage. Berlin* 1832 (*a*).

Accessio hujus libri non inutilis est: *Bemerkungen über Römische Rechtsgeschichte. Eine Kritik über Hugo's Lehrbuch. Von Dr. F. A. Schilling. Leipsig.* 1829.

27. Idem alia ratione aut tentarunt aut instituerunt: *Berriat-Saint-Prix. Histoire du Droit Romain suivi d'une vie de Cujas. Paris* 1823. Vitam Cujacii auxit Spangenberg. *Cujas und seine Zeitgenossen. Leips.* 1822.

*W. A. Macieiowski. Historia Juris Romani. Varsoviae* 1825.

*Zimmern. Geschichte des Römischen Privatrechts bis Justinian. Ersten Bandes erste Abtheilung. Heidelberg* 1826. *Dritter Band.* 1829.

*Walter. Geschichte des römischen Rechts bis auf Justinian. Erste Lieferung. Geschichte der Verfassung. Bonn.* 1834.

Delineatio habetur cum fontium expositione in *Lehrbuch der Geschichte des Römischen Rechts, ein Grundriss aus den Quellen, von Dr. C. A. C. Klenze. Zweite umgearbeitete Ausgabe. Berlin* 1835.

28. Haec sunt nobiliora de historia juris Romani opera. Obscuriora praetermittimus. Sed praetermittenda non est mentio scriptorum utilissimorum, qui Historiam Romanam exposuerunt universam: hujus enim, historia quam persequimur pars vel species dici potest. In numero illorum prope infinito excellere videntur Brittanni duo, Fergusonus et Gibbonus: quorum hic Caesarum tempora, sive lapsum et interitum imperii Romani, ille liberae reipublicae historiam amplexus est. Gibbonus vero eo magis nominandus est,

(*a*) Utilissima erit hujus libri cum nostri locis perpetua comparatio, quocirca in margine congruentia quaeque indicabimus.

quod Capite 44 operis sui juris Romani historiam adumbravit, elegantiae laude commendatam; purgatam eam edidit Warnkönig:

*Précis de l'histoire du Droit Romain par E. Gibbon, augmenté de notes et d'un tableau synoptique. Liége* 1821. Tabulas autem synopticas pleniores postea concinnavit *R. Jannasch. Tabellarische Uebersicht der römischen Rechtsgeschichte. Leips.* 1831.

29. Multae etiam quaestiones difficiliores de jure veteri agitantur in Historia Romana celeberrimi Niebuhrii, non ita pridem prima parte refixa, et post fata viri aucta tertio Volumine. Ab eo multum recedunt Wachsmuth Professor Hallensis, qui vetustam populi Romani historiam edidit, et Aug. Guil. Von Schlegel historiae Niebuhrianae criticus (*a*). Item

*Blum. Einleitung in Roms alte Geschichte. Berlin* 1818. Ex eodem genere sunt *Eisendecker. Ueber die Entstehung, Entwickelung und Ausbildung des Bürgerrechts im alten Rom. Hamburg* 1829. *Chr. Petersen. De originibus historiae Romanae. Hamb.* 1835.

30. De singulis partibus exquisitiora suo quaeque loco interponemus: verum ex re esse videtur jam hic opuscula quaedam designare temporalia, quibus disciplina nostra plurimum debuit. In eo genere primaria sunt:

*Civilistisches Magazin vom Hofrath Hugo. Berlin* 1810—1837. Vol. I—VI.

*Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft; von Savigny, Eichhorn, und Göschen. Berlin* 1815—1839. Vol. I—IX.

Non perinde ad historicum juris studium spectant, sed tamen ei profuerunt:

---

(*a*) *Heidelb. Jahrbücher* 1816. p. 895.

*Neues Magazin für Rechtswissenschaft und Gesetzgebung, von V. Grollmann und V. Lohr.* III Vol. *Giessen.* 1820.

*Archiv für die Civilistische Praxis, von V. Löhr, Mittermaier und Thibaut.* XXI Voll. *Heidelberg.* 1818 seq.

*Thémis, ou Bibliothéque du Jurisconsulte, par une réunion de magistrats, de professeurs et d'avocats. VIII Voll. Paris.* 1819—1826.

*Bibliothéque du Jurisconsulte et du Publiciste. I Vol. Liége.* 1826.

Utriusque operis accessio est *Thémis ou Bibliothéque du Jurisconsulte et du Publiciste. II Voll. Bruxelles.* 1828—1830.

*Bijdragen tot regtsgeleerdheid en wetgeving, door Mr. C. A. den Tex en Mr. J. van Hall.* XI Voll. *Amsterdam.* 1826—1839.

*Rheinisches Museum für Jurisprudenz.* VII Voll. *Bonn.* 1827—1829. *Gött.* 1833—1835.

*Kritische Zeitschrift für Rechtswissenschaft.* V. Voll. *Tübingen.* 1827—1829.

31. Intelligitur autem ex iis quae supra scripta sunt, parum esse juris Romani studioso, si Latine tantum, non etiam Graece doctus sit, nec praeter Gallorum sermonem alias recentiores linguas didicerit.

32. Usitatur porro in juris historia enarranda, ut in aliis, ratio duplex. Altera synchronismus, altera chronologia Graeco nomine appellatur. Utraque suas dotes habet et incommoda *(a)*. Methodus.

33. Chronologicae historiae specimen est in *Antiquitatum Syntagmate* Heineceiano; perfectius in Juris Historia Germanice edita auctore Alb. Schweppe. Goet-

(a) Vid. Schilling. pag. 3, et auctt. citt. Idem pag. 14 med. In primis legatur *Puchta. Abhandlungen. Leipsig.* 1823. Disput. 5.

tingae 1827. Eo modo partes singulae melius cognoscuntur.

34. Synchronistica ratione usus est Hugo, cujus exemplum sequimur. Describit historiam per temporum intervalla, quae cum vitae humanae aetatibus comparantur. Juris universi facies, quod quoque tempore fuit, ita conspicitur.

35. Aetates illae varie determinari possunt. Juvant potissimum studia nostra, quae magna rerum conversione cernuntur (quae tamen in juris historia non potest esse repentina), quae paucae sunt, nec valde inaequales.

Aetates. 36. Hoc reputantes hanc Historiam distribuimus per quatuor aetates, quarum summae sequuntur.

### Aetas i. Ab urbe condita ad praeturam urbanam.

Anno 1-387, ante Christum 754-367.

Fontes: leges duodecim tabularum. Pomponius.

Civitatis origo et prima incrementa. Respublica adhuc aristocratica. Infantia juris civilis. Scienta ejus est penes solos patricios. Patrum et plebis assiduae contentiones. Duodecim tabulae. Legis actiones. Papirius. Appius Claudius.

### Aetas ii. A praetura urbana ad Augustum Principem.

387-724, a. Chr. 767-30.

Fontes: scripta Ciceronis.

Juris adolescentia. Res publica libera augetur civibus, sociis, provinciis. Plebiscita. Jus civile et

honorarium. Lex Julia et Plautia. Cernitur in jure et legibus mutatio morum. Florent eloquentia artesque elegantiores. Nondum perinde jurisprudentia.

Cn. Flavius. Tib. Coruncanius. Sextus Aelius. Brutus. Manilius. Scaevolae. Catones. Servius. Gallus Aquilius.

### Aetas III. Ab Augusto ad Constantinum Magnum.

30 a. Ch.—306 post Christum.

Fontes: scripta jureconsultorum.

Vigor maturae aetatis. Monarchia. Orbis Romanus latissime patet. Philosophia aliaeque disciplinae graviores summo studio coluntur. Jurisprudentiae aurea aetas. Docetur in scholis. Legibus et Senatusconsultis multa innovantur. Praeter praetores et jureconsultos edicit de jure et rescribit Princeps.

Labeo. Sabinus. Proculus. Julianus. Gajus. Papinianus. Paulus. Ulpianus. Modestinus. Hadrianus. Antonini. Alexander. Diocletianus.

### Aetas IV. A Constantino Magno ad Justinianum.

306–527.

Fontes: constitutiones Imperatorum.

Senescunt omnia. Despotismus. Imperium Romanum barbarorum incursionibus labefactatur. Nova Roma condita Italia provinciae loco esse incipit. Reipublicae administratio ad Orientis rationem in-

formata. Nova sacra. Artium ac disciplinarum, item Latinae linguae barbaries. Juris civilis perturbatio. Pro senatusconsultis, Edictis, et Responsis dominantur edictales leges. Codices legum et juris enucleati. Jurisprudentia ars citandi et compilandi. Publici Legum professores.

Hermogenianus. Constantinus. Theodosius II. Alaricus II. Justinianus.

# AETAS I.

## AB URBE CONDITA AD PRAETURAM URBANAM.

1 — 387.

ANTE CHR. 754 — 367.

## CAPUT I.

### DE FONTIBUS JURIS.

Romanorum origo. Mores. Humanitas. Hugo. pag. 69—81.

1. Primordia Romae, ut aliarum civitatium, incerta sunt, poëticis commentis obscurata (*a*); non vero instituta publica et civilia, quæ durarunt. Pro rerum memoria erant mores ac recordationes (*b*) gentium ac familiarum, carmina familiaria (*c*) annales publici (*d*), carmina historica (*e*). Historias hoc tempore non scripserunt (*f*).

2. Multorum testimonio convenit priscos Romanos Latinos fuisse, urbem autem coloniam Albae Longae (*g*); mature tamen Sabini (*h*) accesserunt et Etrusci (*i*).

3. Praeterea frequentabatur civitas pastorum et la-

(*a*) Livius Praef. et VI. 1. Florus initio.

(*b*) Plinius Nat. Hist. XXXV. 2.

(*c*) Cicero Tuscul. I. 2. Brut. 19.

(*d*) Id. de Orat. II. 12.

(*e*) Ut postea Naevii atque Ennii, ibid. I. 45.

(*f*) Cic. l. l.

(*g*) Liv. I. 6. Flor. l. c. Dionys. Hal. I. p. 73.

(*h*) Liv. II. 16. Sueton. Tib. 1.

(*i*) Tacit. Ann. IV. 65.

tronum plebe *(a)*, servis fugitivis ac manumissis. Haec plebejorum hominum origo *(b)*.

4. Romani igitur initio varii erant: nec una stirpe orti, nec iisdem sacris, nec omnino sermonis aut juris communione utentes. Procedente tamen tempore ad unum populum coaluerunt.

5. In moribus eorum tristitia quaedam cernitur et austeritas: fidem, constantiam, ac patriae amorem magni faciunt; saepe tamen haec in superbiam vertunt et crudelitatem.

6. Ingenio nec fervido erant nec mobili, diligentia magis quam pulcri sensu excellentes.

7. Natura magis ad jus civile informati fuisse videntur quam ad philosophiam, quam domesticam nunquam habuerunt.

8. Sacra minus ad homines meliores vel doctiores faciendos, quam ad voluntatem Deorum conciliandam spectabant. Pars erant juris publici *(c)*, nec tamen sacerdotes magistratus. Magna illorum vis apparet in jure civili.

9. Praeter rem militarem opera dabatur rei rusticae, etiam exquisitiori vini et olei, qualia Italiae coelum jam ferebat *(d)*. Vitae tamen pastoritiae multa diu manserunt vestigia *(e)*. Mercatura et officina nunquam placuerunt *(f)*.

10. Faciunt etiam ad humanitatem populi aestimandam linguae ratio, item multarum artium imperitia:

*(a)* Cic. de Orat. I. 9. Liv. I. 8. Juvenal. Sat. 8 extr.

*(b)* Festus in voce *patricios*. Liv. X. 8. Dionys. p. 83.

*(c)* L. 1. L. 2. D. de just. et jure. Conf. Lactant. Inst. I. et IV. Cap. 3. Augustin. de Civ. Dei VI. 4. seq.

*(d)* Plin. N. H. XIV. 14. Gell. X. 23. L. 1. D. de tigno juncto.

*(e)* Varro de re rust. II. 1. Plin. XVIII. 3.

*(f)* Cicero de Offic. I. 42.

nummus, scriptura, temporis descriptio; maxime vero jus civile et criminum vindicta. Quae omnia priscos Quirites prope a barbarie afuisse arguunt.

QUAESTIONES.

1. Quando creditur Roma condita esse? quae nomina ei indita sunt?
2. An Roma colonia fuit Albae Longae, non potius Caeritum?
3. Unde Quirites appellantur?
   Conf. auctores citati apud Creuzerum (*Friedrich Creuzer's Abriss der Römischen Antiquitäten. Leipzig* 1829.) §§ 13, 14, 15.
4. Latini quinam erant? Qui Sabini? Qui Etrusci? *Ibid.*
5. Lingua Latina an Graecae originis est? *Lanzi. Saggio di lingua Etrusca. Roma* 1789. T. I. pag. 436. *Lepsius. de tabb. Eugubinis. Berol.* 1833. p. 29. *Grotefend. Rudimenta linguae Umbricae. Hannov.* 1836.
6. Quae fuit origo patrum ac plebis?
7. Mores et ingenium priscorum Quiritium unde cognoscuntur?
8. Sacris et religione quid differebant Romani ab Orientalibus, quid a recentioribus Europaeis?
9. Cur res militaris tantopere placebat Romanis?
10. Cur pascere et arare amabant, non etiam mercari? Cicero de repub. II. 4. de Off. II. 25.

11. Ut omnibus antiquis civitatibus, etiam maxime liberis, ita Romae primum praefuit Rex, belli dux et domi jus dicens (*a*). Praeterea erat Senatus et Populus. Quae tamen esset cujusque potestas, nec postea satis constabat (*b*). Magistratus populi praeter Regem vix Instituta. Hugo. pag. 87-97.

(*a*) Dionys. II. pag. 87 ed. Sylburg. Cicero de republ. V. 2.
(*b*) Gaj. I. 4.

erant. Populi comitia primum curiata fuerunt, in quibus et privata negotia peragebantur, mox etiam centuriata, postremo accesserunt tributa sive plebis (*a*). Regibus exactis (anno 244) duo consules creati sunt, annui quidem, ceterum eadem quae fuerat regia potestate (*b*). Non multo post tribunatus institutus est, ut essent qui plebem defenderent (anno 264), qui tamen non diu solo jure cohibendi contenti fuerunt, sed brevi rogationes ad plebem suam facere coeperunt. A singulis autem potestatibus illis singuli juris fontes manarunt.

12. Etiam censores hoc tempore (311) instituti sunt, et pro consulibus aliquamdiu tribuni militares.

13. Cernitur hoc temporis spatium assiduis inter patres ac plebem contentionibus, quae subinde in secessiones seditionesque processerunt. Oriebantur partim ex misera plebis conditione, quae militia et inopia urgebatur, et acerbitate juris civilis sive saevitia foeneratorum (*c*); partim ex popularium hominum cupiditate honores appetentium. Patres tamen per totam hanc aetatem superiores fuerunt (*d*). Contentionibus autem illis leges quaedam debentur, et mutationes juris civilis.

14. Inter leges illas longe primariae sunt quae duodecim tabularum nomine celebrantur, quibus gravior res nulla in tota juris Romani historia occurrit. Nam praeterquam quod ad populi diversas partes conjungendas valuisse videntur, multis post saeculis omnis juris publici et privati fons (*e*) habebantur, earumque vis nec Justiniani tempore cessaverat.

(*a*) Gell. XV. 27.
(*b*) Cic. de republ. II. 32.
(*c*) Id. II. 33. Cf. infra §. 236.
(*d*) Id. II. 32. et 36.
(*e*) Liv. III. 34.

15. Historia illarum legum haec fere traditur. Postquam inter Consules et tribunos certamen diu fuerat de aequanda, ut ferebant, libertate, sive de aequo jure patribus ac plebi constituendo, postremo convenit, ut ejus rei causa leges scriberentur. Itaque missi sunt tres legati in Graeciam, vel Graecas etiam Italiae civitates, qui Solonis leges aliaque Graeciae instituta noscerent. His anno proximo reversis creantur decemviri legibus scribendis, cum imperio annali sed unico, quiescente adeo interim ad populum provocatione. Tum decem conscribuntur legum tabulae, interprete, ut quidam referunt, Hermodoro Ephesio; populoque venia consulendi data palam proponuntur, mox centuriatim perferuntur. Anno autem praeterlapso, cum duae tabulae deesse dicerentur, novi decemviri subrogati sunt, ingenio minus populari, quibus praeerat Appius Claudius. His imperium contra fas per triennium retinentibus, multitudo gravi quadam Appii injuria incensa, denuo secessione facta, libertatem suam vindicavit. Rebus autem compositis, tabulae illae posteriores, licet inaequalitatis plenae (*a*), neque jussae in comitiis, additae sunt prioribus, ac totum corpus aeri incisum populoque propositum deinceps pro jure legitimo observatum est (*b*).

Duodecim tabulae. Aleae leges.

Hugo. pag. 97—108.

16. Ita fere res apud Veteres scriptores relata legitur. Inter Recentiores tamen fuerunt viri docti qui illam in dubium revocarent, uti Vico, Gibbonus, Niebuhrius, qui vel Graecam legationem, vel etiam Graecam quarundam legum originem vero similem esse negarunt. Hi silentium objiciunt auctorum Graecorum, ac Ciceronis in libris de republica; item superbiam Romano-

(*a*) Cicero de republ. II. 37.

(*b*) Vid. Livius III. 31 seq. — 57. Dionys. X. pag. 676 seq.

rum universe, ut et mores aristocraticos decemvirorum; postremo Ciceronem in libris de Oratore duodecim tabulas prae Solonis et Lycurgi legibus extollentem. Est tamen quod rationibus illis respondeas (*a*).

17. Judicia de prudentia et aequitate legum decemviralium etiam apud Veteres varia fuerunt (*b*). Justiniani quidem aetate in libris jureconsultorum supererant (*c*); nos vero ex reliquiis tantum illas cognoscimus, nec iis multis, quas viri docti, veluti Jacobus Gothofredus, composuerunt, quorum operam recens novo examini subjecit Dirksen:

*Uebersicht der bisherigen Versuche zur Kritik und Herstellung des Texts der Zwölf-Tafel-Fragmente.* Lipsiae 1824.

18. Elementa illarum legum ex quibus singula loca sumebantur, erant mores patrii atque domestica instituta Romanorum (*d*), leges regiae, leges quaedam consulares (*e*), et leges Graecae: quas omnes, ut fit, emendatiores facere studuerunt (*f*).

19. Aliae quaedam leges et ante et postea latae sunt in juris historia notabiles, uti leges Valeriae de provocatione, lex Ateria Tarpeja de mulcta a magistratibus dicenda, lex Horatia de plebiscitis, lex Canuleja de connubio patrum et plebis, de quibus postea aptior erit dicendi locus.

---

(*a*) Interim vide Ciceronem de legibus II. 23 et 25. L. ult. D. finium regund. et L. ult. D. de coll. et corpor. juncto Plutarcho Solon. Cap. 23 extr.

(*b*) Cic. de Orat. I. 44. Tacit. Ann. III. 27. Gell. XX. 1.

(*c*) Fortasse ipsae tabulae aeneae tertio saeculo: cf. Cyprian. Lib. II. Ep. 2. Sed item Augustin. de C. D. VIII. 19.

(*d*) Dionys. pag. 681.

(*e*) Id. II. 97. Cic. de republ. II. 31. L. 2. D. de mortuo inf. Nec obstat Pompon. L. 2. § 3. D. de orig. juris.

(*f*) August. de civitate Dei. II. 16.

## Quaestiones.

1. Cur regium nomen primum fere in terris imperium esse solet?
2. An reges Romanorum personae mythicae habendae sunt? Vid. Niebuhr. p. 223 seq. et passim. Wachsmuth. p. 127.
3. Qui erant senatores, patres, patricii?
4. Quae comitia curiata? Niebuhr. pag. 331. Francken: de tribuum, curiarum, atque centuriarum ratione. Slesvici 1824. De utraque quaestione in primis consule P. G. van Heusde: Diatribe in civitates antiquas: pag. 30. in Commentt. tertiae Classis Instituti Belgici. Amstelod. 1817.
5. Tribunicia potestas cur postea Imperatoribus tantopere placuit?
6. Unde ortae sunt perpetuae illae contentiones inter patres et plebem tam infenso animo agitatae?
7. Quae fuit vera causa scribendi leges duodecim tabb.?
8. Num leges illae aequalitati civium ac libertati profuerunt?
9. Quare interim universa reipubl. constitutio mutabatur? An simile quid ullius in populi historia exstat? Conf. *Hume. History of England.* Cap. XII: *usurpation of the barons* (anno 1258).
10. An Romani peregrina instituta aversabantur? Sallust. Catil. 51.
11. Quae est sententia Ciceronis de Orat. I. 44? quam *auctoritatem* significat? an forte Solonis?
12. An reipublicae formam ab Atheniensibus adsciverunt Romani? De quibus rebus agitur maxime in duodecim? Numquid *Consuetudinibus* nostris possunt comparari?
13. Unde potuit legum dispositio restitui?
14. An constat ex Cypriani loco ipsas tabulas tum in foro Romano superfuisse? Leg. Kaemmerer. Observatt. juris civilis. Rostoch. 1827. pag. 194.

# CAPUT II.

## DE JURISPRUDENTIA.

Jurisprudentiae initia. Libri. Jureconsulti. Hugo. pag. 109.

20. Talis res, qualis hodie jurisprudentia appellatur, hac populi Romani infantia esse non potest: non ars, non libri, non jureconsulti. Fuerunt tamen mature formulae aliaque sollennia communi hominum opinione constituta, quibus vitae necessitudines atque negotia regebantur.

21. Formae illae non erant paucorum hominum inventa, sed sponte exstiterunt, ut usus loquendi, ritus, aliaque, quae in more cujusque populi certa necessariaque haberi solent, licet ab imperantibus non praescripta *(a)*.

22. In aliarum gentium infantia non minus occurrunt, imo magis, ac nativam priscorum hominum simplicitatem referunt *(b)*.

23. Scientia earum non discreta digestave erat, sed aliarum rerum scientiae, puta sacrorum, temporis, reipublicae, permixta.

24. Totaque erat penes pontifices, universae omnium divinarum atque humanarum rerum disciplinae possessionem obtinentes *(c)*. Itaque patriciis duntaxat, non etiam plebi patebat.

25. Etsi rarae erant per id tempus literae, quaedam

*(a)* Cf. *Von Savigny. Vom Beruf unsrer Zeit für Gesetzgebung und Rechtswissenschaft.* Ed. 2. Heidelberg. 1829.

*(b)* *Grimm. Von der Poësie im Recht.* Zeitschr. II. 5.

*(c)* Dionys. pag. 627. Pompon. § 6.

tamen jam perscribebantur in libris sacris (*a*), in annalibus pontificum, regumque commentariis (*b*). Imo Pomponius aliique auctores de legibus regiis commemorant, quae ***Juris civilis Papiriani*** nomine a Papirio quodam in unum corpus redactae fuerint.

26. Idem Pomponius in jurisprudentia hujus temporis tria velut elementa distinguit: leges duodecim tabularum, earum interpretationem, sive jus civile, quod jam *fluere* coepit, et legis actiones.

27. Etiam Papirium illum juris peritum nominat, cum Appio Claudio: sed alter legum compilator erat, alter nomotheta, jurisconsultus neuter.

QUAESTIONES.

1. Juris civilis initia in quoque populo qualia esse solent, et quousque cognita?
2. An juris formulae merito deridentur? Quae est earum vel necessitas vel utilitas?

    Praeter Ottonem et Heineccium, vide Lusac. in Observatt. apologet. pro JCtis Romanis. L. B. 1768. Pleniorem formularum notitiam praeter Brissonium dabit Dirksen. *Versuche*. Comm. 1.
3. An hodie sunt juris formulae?
4. An et in aliis rebus praeter jus civile?
5. Quid Romanorum formulae differunt a formulis antiquis gentium Germanicarum?
6. Quaedam formulae actusque solennes num vitam et mores Quiritum referunt? Cf Cic. de Orat. I. 43. Gaj. IV. 16.
7. Num item occurrit in aliarum gentium historia ut juris scientiam sacerdotes obtineant?
8. Papirius noster num diversus est a Papirio Pontifice,

(*a*) Dionys. *l. c.*

(*b*) Livius. VI. 1. Cic. pro Rabirio. Cap. 5. de Orat. I. 43.

cujus Dionysius meminit (III. pag. 178), hujusque liber a *jure civili Papiriano?* Conf. Arnob. adv. gent. L. II. C. 73. ed. Orelli. p. 103.

9. *Jus civile Papirianum* an exstabat Pomponii aetate?
Cf. Pomp. § 2. L. 144. D. de verb. signif. Gell. IV. 3. Censorin. de die nat. Cap. 3.

10. Leges regiae quales erant? Vid. *Dirksen, Versuche.* pag. 235. Themis V. pag. 192.

11. An exactis regibus exoleverunt?

# CAPUT III.

## DE JURE PRIVATO.

28. Licet jus civile Romanorum hisce temporibus nondum sit generatim digestum, in eo tamen exponendo partium distinctione opus est. Servabimus rerum ordinem qui est in Gaji Commentariis. Itaque 1°. de personis agemus; 2°. de adquirendo rerum dominio; 3°. de obligationibus; 4°. de actionibus. Illas autem partes juris explicabimus tantum, quatenus in hac juris infantia eis locus erit, et per inopiam vetustae historiae fieri poterit. Ordo rerum.

29. Hujus fontes sunt praecipue legum duodecim tabularum fragmenta, quae passim apud veteres scriptores exstant, inter quos tamen nullus hujus aetatis auctor est.

30. Itaque pauca habebimus quae ad jus gentium referantur, quod praeterea non potuit non exiguum esse hac aetate: sed jura quae trademus sunt paene omnia Romanis propria, quorum communione peregrini non fruuntur.

### Sectio I. De personis.

31. Interpretanda occurrunt verba *caput*, *persona*, *status*, *familia*.

32. Omnes homines aut liberi sunt aut servi. Liberi sunt vel cives vel peregrini. Cives libertini vel ingenui. Servi sunt etiam statu liberi, de quibus in duodecim tabulis scriptum aliquid fuisse traditur (*a*). Hominum divisiones. Hugo. p. 117.

(*a*) Ulp. II. 4. L. 1, 25, 29. § 1. D. de statu lib. Festus *statuliber*.

QUAESTIONES.

1. Quaeritur de vera vocis significatione? L. 1 cit. Cic. Orat. 45. de Off. I. 12. Gell. VII. 10.
2. Quaeritur an forte alii quam servi eo nomine nunc intelligantur? Conf. *Madai. Die Statuliberi des Römischen Rechts. Halle* 1834. p. 7.
3. *Servus, ancilla:* quae sunt illorum verborum etymologiae? Festus in voce. Homeri Odyss. VIII, 529.
4. Nomina collectiva *mancipium, homo, familia, corpora?*

Servi. Hugo p. 121. 33. Servi cum nascuntur tum fiunt, jure gentium. Partus domino matris adquiritur, non patris.

34. Fiunt jure gentium cum ab hoste, id est peregrino, nec tantum bello, capiuntur (*a*).

35. Quod tamen jus postliminio temperatum est (*b*).

36. Item fiunt jure publico Romanorum cum incensus, vel delectum evitans venditur (*c*).

37. Fortasse et jure privato Romanorum debitores addicti (*d*), et furti manifesti condemnati (*e*).

38. Ceterum privata voluntate, vel conventione (*f*), nemo libertatem amittit, nec si a parente venditur; neque si pro servo possidetur ullo tempore usucapitur.

QUAESTIONES.

1. Cur partus matris dominium sequitur, non patris? An possit jus aliter constitui? Vid. Grotius. Jus belli ac pacis II. VIII. 18.
2. Quae erant Romanorum opiniones de servitute? Vid.

(*a*) Cic. de Offic. l. c. L. 51. D. de adq. rer. dom. L. 5. § 2. D. de capt. et postl.

(*b*) L. 19. D. eod. Cic. Top. 8. Festus in voce.

(*c*) Liv. I. 44. Ulp. XI. 11. Cic. pro Caecina 34. Dionys. IV. pag. 221.

(*d*) Gell. XX. 1.

(*e*) Gaj. III. 189.

(*f*) L. 37. D. de liber. causa.

Cicero de Off. III. 23. L. 2. D. ad L. Aquil. Cato de re rust. 5. Seneca Ep. 47. Tacit. Ann. XIV. 44. L. 27. D. de hered. petit. L. 44. D. de aedil. ed. Flor. III. 20. Cf. quoque Aristot. Politic. I. cap. 8.

3. Postliminium quo modo potuit dici jus inter reges ac populos constitutum?
4. Cur quaedam res tantum postliminium habebant? L. 2. D. de captiv. et postl.
5. Si homo Romanus domi vendi non poterat, quî poterat exteris vendi?
6. An fuerunt jam favores libertatis? Vide Pomp. § 24. Gaj. IV. 14. infra § 189.

39. Ad cives proxime accedunt Latini *(a)*, sed et aliis peregrinis civitatibus mature quaedam juris Romani communio specialiter concessa est. Cives. Ingenui. Libertini. Hugo. p. 123 et 128.

40. Inter peregrinos pessima conditio deditit iorum est *(b)*.

41. Ingenuus est qui libera matre natus est. Plane qui legitime concipiuntur ex conceptionis tempore statum sumunt *(c)*.

42. Libertinus est qui ex justa servitute recte manumissus est.

43. Manumittitur censu, vindicta, testamento *(d)*. An adoptione, quaeritur *(e)*.

44. Manumittere potest qui pleno jure dominus est. Necdum manumissiones legibus impediuntur.

45. Effectus est ut manumissus libertus fiat, manumissor patronus *(f)*.

---

*(a)* Conf. Gaj. I. 79.
*(b)* Arg. Gaj. III. 75. Id. I. 14. 25 seq. Conf. Liv. I. 38.
*(c)* Id. I. 89.
*(d)* Ulp. I. 8. Gaj. I. 17.
*(e)* Gell. V. 19. Quinctil. declam. 342. §. ult. I. de adoptt.
*(f)* Conf. Lactant. Inst. IV. 3.

## Quaestiones.

1. Ex quibus causis explicanda est differentia juris hodierni, et antiqui, quo cives et peregrini tanta distantia separantur?
2. Quid sibi vult proverbium Romanum: Natalibus non officit manumissio?
3. Quae est communis natura Romanarum manumissionum?
4. Verborum potestas: *manumissio*, *libertus*, *libertini*, *patronus?*
5. Cur in Institutionibus proprio loco de peregrinis non agitur?
6. An universitates (personae morales) veluti corpora et collegia jam sunt? Vid. Plutarch. Numa. 17. L. ult. D. de coll. et corpor. *Dirksen. Abhandlungen.* II. 1. Berol. 1820.

Familia. Potestas. Hugo. p. 131.

46. Alia est personarum divisio, qua vel sui juris esse dicuntur, vel alieno juri subjecti.

47. Qui alieno juri subjecti sunt vel in potestate sunt, vel in manu, vel in mancipio.

48. In potestate sunt liberi et servi. Qui in manu sunt ad liberorum, qui in mancipio, ad servorum conditionem nunc proxime accedunt.

49. Is cujus servus est *dominus* ejus vel *herus* appellatur. Potestas ejus est infinita; servus autem sibi nullum jus habet, nec Romano (*a*) nec gentium more. Attamen non est nunc ita dura servorum conditio (*b*).

50. Inter servos quoque et liberos jure privato non est magna differentia; imo jus quod in utrisque paterfam. habet uno nomine designatur (*c*).

(*a*) L. 1. D. de jure delib. L. 209. D. de reg. jur.

(*b*) Loca cit. 38 supra ad quaest. 2, et Plutarch. Coriol. 24. Plin. Nat. Hist. 33. 6.

(*c*) Conf. etiam Sext. Emp. Pyrrh. III. C. 24.

51. Quin etiam patria potestas dominium magis vel *proprietatem*, quam naturae, vel sanguinis, vel pietatis vinculum referre videtur.

52. Liberi enim vendi possunt, et noxae dedi, et rerum instar vindicari; item filio surrepto furti actio est.

53. Item non minus quam servi exponi et occidi possunt, etiam sine domestico judicio (*a*).

54. Ex diverso pluribus subjecti esse non possunt, nec feminae, et morte parentis plerumque liberantur: cujus futurae conditionis in quibusdam juris partibus posteriori aetate ratio habetur.

QUAESTIONES.

1. Quae est origo ejus potestatis quam habebat paterfamilias Romanus? L. 195. D. de verb. signif. Conf. o. c. van Heusde, pag. 36.
2. Cur tam exigua est nunc inter servos et liberos differentia?

55. Adquiritur patria potestas maxime ex justis nuptiis et adoptione. Nuptiae. Hugo. p. 142.

56. In nuptiis contrahendis praecipue spectantur connubium et consensus.

57. Connubium est uxoris jure ducendae facultas (*b*), quod quidem proprium jus Romanorum est, sed quandoque peregrinis conceditur (*c*), nunc autem facilius quam postea cum Romanum nomen magis creverat.

58. A quarundam tamen personarum nuptiis abstinendum est; diu enim non fuit patribus cum plebe con-

(*a*) Sallust. Catil. 39. Val. Max. V. 8. Dionys. II. pag. 96. Papin. in Coll. leg. Mos. et Rom. IV. 8. L. 11. D. de lib. et post. L. ult. C. de pat. pot.
(*b*) Ulp. V. 2.
(*c*) Id. V. 1. Livius I. 9. IV. 3. VIII. 14.

nubium *(a)*, nec est nunc inter ingenuos et libertinos, nec videtur libertabus esse gentis enuptio *(b)*. Praeterea cognatio obstare potest vel affinitas.

59. Cognatio naturalis vel civilis esse potest, vel mixta *(c)*. Obstat autem qualiscunque sit in superiori et inferiori ordine perpetuo, etiam civilis post quam cessavit. Ex transverso inter personas quae sibi parentum liberorumque loco sunt perpetuo obstat. Ceterum an ultra gradum quartum non sit prohibitio, quaeritur *(d)*.

60. Affinitas in transverso ordine impedimento non est *(e)*.

61. Consensus requiritur ipsorum contrahentium si sui juris sunt, aut etiam parentum ipsorum si in potestate sunt.

62. Praeterea an masculus pubes sit, femina viripotens: quod nunc corpore potius quam annis aestimatur *(f)*.

## Quaestiones.

1. Quae erat Romanorum de matrimonio opinio? Vid. Gell. I. 6. Id. IV. 3. Festus *quaeso, uxorium.* Dion Cass. 56. 8. Val. Max. VII. 7. 4. Macrob. Saturn. I. 16. ed. Bip. p. 279.
2. Cur incestae habebantur consobrinarum nuptiae? an potius patruelium sunt intelligendae? aut plane omnium

*(a)* Cic. de republ. II. 37. Liv. IV. 1, 5. Conf. tamen id. X. 23.

*(b)* L. 23. D. de ritu nupt. Liv. 39, 19. Huschke. de privilegiis Feceniae Hispalae. Götting. 1822.

*(c)* L. 4. §. 2. D. de grad. Deiters. de civili cognat. et fam. nexu. Bonnae 1825. *Klenze. Zeitschrift* VI. 1.

*(d)* Gaj. Visigoth. I. IV. 6. Tacit. Annal. XII. 6. Plutarch. Quaest. Rom. 6, et 108.

*(e)* Cic. de divin. I. 46. Liv. I. 46. Plutarch. Crasso 1. L. 3. Theod. C. de inc. nupt.

*(f)* Gaj. I. 106. Isidor. Orig. XI. 2.

cognatarum nuptiae, ut Plutarchus tradit? Ev. Otto. de nupt. consobr. Dissertatio.

3. Eratne omnino prohibitio propter affinitatem in gradu superiori et inferiori? Conf. Cic. pro Cluentio 5. f.
4. An nudo consensu justae nuptiae fiunt? An forte consensus ex solennibus recte interpositis colligitur? Vid. L. 5. inscript. L. 42. D. de ritu nupt. Tota L. 66. de donat. i. v. et u. Paulus II. 19, 8.
5. Si in potestate sunt an parentis consensus non sufficiat? Vid. L. 2. f. D. de his qui notant. infamia.
6. An mulieri cum nubit tutoris auctoritas necessaria est?
7. In feminis an et hoc tempore aetas spectatur. Vid. Dion Cass. 56. 16. Plutarch. Comp. Lycurgi et Numae. C. 4.
8. Eadem res an apud alias gentes occurrit? Grotius. florum sparsio: ad Tit. I. Quib. mod. tut. finitur.
9. An mulier soluto matrimonio statim nubere potest? Plut. Numa 12. Vatic. § 320. Edictum Praetoris in Dig. de his qui not. infam. L. 11. § 1. eod.
10. Quid de secundis statuunt nuptiis? Propert. Eleg. ult. vs. 36. Liv. X. 23. Val. Max. II. 1.

63. Solvitur matrimonium morte et divortio. Quandoque etiam connubio sublato (*a*).

64. Divortium non aequali lege competit (*b*). Fit certis verbis, fortasse et aliis sollennibus (*c*), nullo tamen interveniente magistratu.

QUAESTIONES.

1. Quaeritur de Carviliano divortio? Gell. IV. 3. Id. XVII. ult. Plutarch. Comp. Lycurgi et Numae. 3.

Legatur *Savigny. Ueber die älteste Ehescheidung*

(*a*) § 2. I. de nupt. L. pen. § 3. D. de ritu nupt.

(*b*) Plutarch. Romul. 22. Plaut. Mercat. IV. 6.

(*c*) Cic. de Orat. I. 40. Plaut. Amphytr. III. II. 7. Cic. Philipp. II. 28. Festus *clavin.* L. 43. D. ad L. Jul. de adult. Conf. quoque § 73 infra.

*in Rom.* Zeitschrift V. 111. *Zimmern. Römischrechtl. Untersuchungen. Heidelb.* 1821. p. 332. *Klenze. die Freyheit der Ehescheidung nach älterm Röm. Recht.* Zeitschr. VII. 1.

2. Quid est concubina? Quid pellex? Vid. Tit. D. de concub. L. 144. D. de verb. signif. Festus *pellices.* Gell. IV. 3.

Adoptio. Hugo. pag. 150.

65. Adoptio, sive adoptatio, an sit hoc tempore, dubites: etenim forma ejus multiplex est et imaginaria. Principium tamen et quasi fundamentum habet in lege duodecim tabularum: nam per mancipationes fit, jure venundandi, et in jure cessionem (*a*): nec res aliena est ab his quae mature in populo Romano fieri videmus, ubi homines et gentes peregrinae in civitatem adsciscuntur.

66. Arrogatio facilius in hac aetate collocabitur, quod solennes ejus rogationes apud Gellium et Ciceronem (*b*) exstant, quae comitia curiata significant eaque quondam vera, et ipsae aliquam habent antiquitatis rubiginem.

67. Feminae et impuberes arrogari non possunt.

68. Per eam una cum arrogato familia transfertur, item sacra cum familia, ac fit arbitrio pontificum.

Quaestiones.

1. An crebra fuerit adoptio? Orat. pro domo. passim, et Suet. Claud. 39. L. 44. D. de usurp. et usuc.
2. Quae causae fecerunt ejus apud Romanos desiderium? Vopisc. Aurel. 14. L. 220. f. D. de verb. signif.
3. An apud alias nationes agrestes apparet? Conf. Robertson. Hist. Amer. Opp. IX. pag. 158. ed. 1822. Gibbon IV. pag. 352. ed. 1820.
4. Quis erat adoptionis effectus circa nomina?

(*a*) Gaj. I. 34. Suet. Aug. 64. Cic. de fin. I. 7.

(*b*) Pro domo. 29.

5. Cur fiebat arrogatio in curiatis comitiis? Conf. infra 130, et 159 q. 8.

6. An et haec dominii alienationi comparari potest?

69. Sunt et alii modi quibus patria potestas adquiritur, minus notabiles, veluti cum filius ex prima vel secunda mancipatione manumittitur (*a*). Item ubi non justum matrimonium, postea dato connubio, ratum fit, quod legitimationi posterioris aetatis comparari potest (*b*).

70. Haec de potestate. In manu sunt mulieres quae in manum viro convenerunt, quo facto ejus juri, aut parentis ejus cujus in potestate est, subjiciuntur (*c*). Manus. Hugo.pag.154.

71. In manum conveniunt tribus modis, qui itidem rerum alienationibus similes sunt, ac duodecim tabularum legibus confirmati (*d*).

72 1°. Usu in manum convenit quae anno continuo nupta perseverat, nam velut annua possessione usucapitur, nec nisi trinoctio usurpatur (*e*).

73. 2°. Confarreatione per quoddam genus sacrificii, in quo ovis mactatur, et panis farreus (quod est antiquissimum genus frumenti) (*f*) adhibetur, et complura praeterea cum certis ac sollennibus verbis, praesentibus decem testibus, aguntur et fiunt. Constat etiam sacerdotem intervenire, aquam et ignem adhiberi, quasi duo praecipua elementa (*g*), et novos nuptos capite velato jugatis sedi-

(*a*) Ulp. XXIII. 3.

(*b*) Livius 38, 36.

(*c*) Gaj. II. 159. L. 56. § 2. D. de jure dotium. Coll. leg. Mos. et Rom. XVI. 2. L. 1. § 4. D. de trib. act.

(*d*) Gaj. I. 110 seq. Servius ad Virgil. Georg. I. vs. 31 et pass.

(*e*) Cicero pro Flacco, 34. Gell. III. 2.

(*f*) Dionys. Lib. II. pag. 95. Plin. N. H. XVIII. 3.

(*g*) L. pen. § 1. D. de donatt. inter vir. et uxor. Plutarch. Quaest. Rom. I.

bus ovina pelle tectis considere (*a*). Necessitatis est illa confarreatio inter flaminem et flaminicam, qui nec divertere possunt (*b*). Liberi autem ex confarreatis nuptiis nati dicuntur patrimi et matrimi (*c*).

74. 3°. In manum convenit quae cum viro coëmptionem facit, per mancipationem, sed verbis in hanc rem conceptis (*d*).

75. Quae ita in manum convenit marito apud eum filiae locum obtinet, aut si in potestate est, neptis vel proneptis apud patrem ejus vel avum.

### Quaestiones.

1. In manum conventio qua necessitate conjuncta est cum ipso matrimonio?
2. An quaedam mulieres usucapi non possunt?
3. Quidni usu quoque filius adquiri potest?
4. An credibile est confarreationem fuisse Etruscum institutum gentibus patriciis proprium? Conf. *Wächter. Ueber Ehescheidungen bey den Römern. Stutgard.* 1822. pag. 38.
5. Quid de diffarreatione existimandum est? Hagenbuch. Inscr. I. 2648.
6. In coëmptione quis emit, quis vendit, quid emitur? Servius et Isid. l. l. c. c. et Varro apud Nonium 12, 50. Conf. Heinecc. Antiq. I. X. XI.
7. An quaedam mulieres coëmptionem facere non possunt? Conf. Coll. leg. Mosaïc. IV. 2 et 7.

(*a*) Servius ad Aeneid. IV. vs. 103 et 374. Juven. X. 333.

(*b*) Dionys. II. pag. 95. Festus *flameo*, *diffarreatio*. Gell. X. 15. Plutarch. l. l. 50.

(*c*) Tacit. Ann. IV. 16. Hist. IV. 53. Serv. ad Georg. I. 31. Conf. tamen Festus *flaminia*.

(*d*) Cic. de Orat. I. 56. Pro Murena. 12. Serv. l. c. vs. 214. Gaj. l. c. et 123. Isid. V. 24.

8. Quam vim habent vel nuptiae vel manus in nomen mulieris?
9. Quam potestatem habet maritus in uxorem suo juri subjectam? Caesar. bell. gall. VI. 19. Dionys. II. pag. 95. Liv. XXXIX. 18. Gell. X. 23.

76. In mancipio sunt liberi a parente, item mulier quae in manum convenit ab eo cujus juri subjecta est, per mancipationem alienati, eodem modo quo serviles personae et res quae cujusque in dominio sunt alienantur Effectus est ut alienatus servi loco sit: unde non aliter quam per manumissionem liberatur (*a*), et manumissus liberti loco esse incipit patronum habens manumissorem (*b*). Neque illa mancipatio tantum fit venditionis causa, sed etiam noxae deditionis, de qua postea dicemus. Mancipium. Hugo. pag. 159.

## Quaestiones.

1. Qui in mancipio est quid a vero servo differt? Gaj. I. 135 et 162.
8. Qui aeris alieni, aut furti manifesti condemnatur, an ejusdem atque ille conditionis esse non videtur? Addictio enim idem efficit quod mancipatio: cf. Ulp. XIX. 10. Gaj. III. 189.

77. Solvitur patria potestas venditione una vel trina, (quo etiam coëmptio referri potest): qua re, addita manumissione, jam hoc tempore (*c*) emancipatio exstitit. Item sacerdotio, cum filius flamen Dialis inauguratur, aut filia virgo Vestae capitur (*d*).

(*a*) Gaj. I. 116 seq. III. 114. Festus. *remancipatam.*

(*b*) Ulp. XI. 5. Tit. Dig. Qui a par. manum. Coll. leg. Mos. et Rom. extr. L. 10. D. de suis et legit. hered.

(*c*) Liv. VII. 16.

(*d*) Tacit. IV. 16. Gell. I. 12. Gaj. I. 130. Ulp. X. 5.

78. Solvitur etiam personae interitu, sive morte, sive capitis diminutione interveniente, sed hoc speciale non est.

79. Aetate, honoribus, familiae separatione, matrimonio, non solvitur.

80. Manus quoque solvitur morte, et exstat quae in manu est eam mancipari posse ac manumitti (*a*), quo facto liberatur. Mancipium solvitur sicut servitus.

### Quaestiones.

1. Quid de lege duodecim tabularum: SI PATER FILIUM TER VENUNDAVIT (Ulp. X. 1. Gaj. IV. 79.) existimandum est? an jus novum erat?
2. Quod de flamine Diali constat idemne de reliquis intelligere licet? Tacit l. c. Gaj. I. 112.
3. Virgo Vestae cur *capi* dicitur? Legatur Gratamae commentatio (*Bijdragen* III. 2).

Tutela. Hugo. pag. 170.

81. Personae quae sui juris sunt etiam divisionem recipiunt. Quaedam enim tutorem habent, quaedam curatorem, quaedam neutrum.

82. In tutela sunt impuberes, et mulieres etiam perfectae aetatis, praeter virgines Vestales.

83. Tutela est potestas in capite libero, ideoque nemo nisi vi legis tutor fieri potest. Officium tutoris est cum auctoritatem interponere, tum negotia gerere: sed hoc commune, illud tutori proprium est.

84. De generibus tutelae inter Veteres non constabat (*b*), sed vulgo recepta distinctio est: testamentariae, legitimae, et quae a magistratibus proficiscitur.

85. Testamentarius tutor est quem paterfam. liberis

(*a*) Gaj. I. 118.
(*b*) Gaj. I. 188. Ulp. XI.

suis, eive quae filiae vel neptis loco est, dat testamento. Isque a legitimo tutore multis partibus differt.

86. Nam cum plures dati sunt unius auctoritas sufficit, et qui tutor esse non vult abdicare potest: quod utrumque in legitimo tutore secus est (*a*).

87. Legitimus tutor est agnatus proximus, qui lege duodecim tabularum ad tutelam vocatur, quia spem hereditatis habet. Similiter patronus, et qui patroni loco sunt.

88. Si plures sunt omnes in omni re auctores fieri debent.

89. Auctoritas a praesenti tutore certis verbis interponitur (*b*): quae res etiam in jure publico usurpatur.

90. Mulierum tutela potest in jure cedi, quae cessitia tutela appellatur; ita tamen ut in finienda tutela cedentis persona spectetur (*c*).

91. A magistratibus hoc tempore tutor dari non videtur (*d*).

92. Solvitur tutela personarum interitu, et in masculis pubertate. Testamentaria tutela etiam abdicatione finitur, et legitima cum familia mutatur.

93. Finita tutela locus est famoso tutelae judicio, et rationibus distrahendis, utrique lege duodecim tabularum confirmato (*e*). Nec tamen in feminarum tutela (*f*). Ex eadem lege oritur accusatio suspecti tutoris.

---

(*a*) Ulp. XI. 17. Conf. Cicero ad Attic. VI. 1: *aut tutela* e. r.

(*b*) Theoph. ad § 2. I. de auct. tut.

(*c*) Ulp. et Gaj. l. l. c. c. seq.

(*d*) Liv. 39. 9. Ulp. XI. 18, 24.

(*e*) Cic. de Orat. I. 36. de Offic. III. 15. Donat. ad Terentii Eunuch. III. III. 9. L. 55. § 1. D. de adm. et peric.

(*f*) Gaj. I. 191.

94. Excusationes et nominationes potioris nondum necessariae sunt.

QUAESTIONES.

1. Quam vim habet regula: tutor datur personae, non rei? Gaj. I. 149 et 150. L. 12—15. D. de testam. tut. Cf. *Puchta. Rh. Mus.* II. pag. 383.
2. Item illa: tutorem habenti tutor dari non potest? § 5. I. de curat.
3. Testamentaria tutela an fuit hoc tempore; an lege duodecim tabularum comprehensa erat? Vid. Dionysii fragmentum 24: pag. 484 o. c. supra Prooem. 10.
   Conf. *Holtius* in *Bijdragen* III. 3. pag. 566.
4. Erantne etiam gentiles legitimi tutores? *Ibid.*
5. Unde differentiae explicandae sunt quae erant inter testamentariam et legitimam tutelam?
6. Jure Romano tutor est qui hereditatem sperat: cur diversum aliis populis placuit?
7. Quare mulieres in tutela erant? An idem apud alias nationes apparet?
8. Virgines Vestae an lege duodecim tabularum erant exceptae?
   Vid. Gratama l. c. p. 291. sed conf. Plutarch. Numa. 10.
9. Quid est accusatio suspecti?
10. Num haec significatur apud Cic. de Off. III. 15, an vero actio rationibus distrahendis? Conf. Rudorff. *Von der Vormundschaft.* III. p. 178.

Curatio. Hugo. pag. 180.

95. In curatione sunt furiosus, et prodigus cui bonis interdictum est, qui curatores legitimos habent agnatos, aut his deficientibus gentiles.

96. Cujusmodi curatores prope domini loco sunt (*a*).

(*a*) Cic. Tusc. III. 5. de Invent. II. 50. Festus *nec*. Gaj. II. 64. Ulp. XII. L. 53. D. de verb. sign. Horat. Serm. II. 3. vs. 218.

97. Durat curatio donec resipiscant *(a)*.

98. Alia quam legitima curatio nunc non habetur, neque propter aetatem cuiquam curator datur.

### Quaestiones.

1. Cur agnatis et gentilibus defertur curatio?
2. An proximo vel proximis defertur?
3. Nonne nimis angustum est jus curationis? Cf. Ulp. XII. 3.
4. An prodigi nominatim lege apprehendebantur? Ulp. XII. L. 1. D. de cur. fur.

99. Gentiles (de quibus Gajus loco deperdito retulit), qui sint certo non constat. Credibile est tamen in jure gentiles dictos esse, familiam posterosque manumissoris, qui legitimi heredes erant et curatores posteris ejus qui manumissus esset, et posteris eorum qui ab his essent manumissi, modo nec ipsi nec ullus decessorum eorum manumissus esset, neve familia exiisset. Vulgo tamen gentiles cujusque dicebantur qui eodem nomine erant *(b)*. Gentiles. Hugo. pag. 263.

100. Est etiam in jure antiquiore mentio clientelae, sive necessitudinis inter patronum et clientes, lege duodecim tabularum confirmatae; sed ea partim moralis erat partim juris publici *(c)*. Clientela.

101. In jure privato tamen vim habuit, si quis peregrinus se Romae ad aliquem quasi patronum adplicaret, hic enim ei jure applicationis heres legitimus fiebat *(d)*.

*(a)* L. 1. D. de curatt. fur.

*(b)* Cic. Top. VI. de Orat. I. 39. Liv. VI. 40. X. 8. XXXIX. 19. Festus in voce, item *patricios*. Ulp. Coll. Tit. ult. § 4 et l. s. c. Suet. Claud. 24. Cic. Tusc. I. 16. Liv. IX. extr. Plin. Nat. Hist. XXXIII. 6.

(c) Cic. de rep. I. 9. Dionys. II. p. 84. Servius Aeneid. VI. vs. 609. Gell. V. 13. XX. 1. Liv. II. 56 et passim.

*(d)* Cic. de Orat. l. l. Dionys. p. 123.

### Quaestiones.

1. Ex qua causa potest clientelae vinculum explicari?
2. An simile institutum in aliis civitatibus vel populis apparet? Conf. Ed. Koellner. de Clientela dissertatio. Goett. 1831.

   Vid. Caesar. de bell. Gall. III. 22. VII. 40. Harpocration in voce προστατης. *Blackstone. Comment. on the Laws of England. II. Ch. 5. Hume. History of England.* App. Cap. 3 (*from Domesday*). Niebuhr I. pag. 390. ed. pr.
3. Institutum Scotorum (*clanship*) numquid commune habet cum superioribus? *Robertson. History of Scotland:* initio. Cf. Festus *patres.*

---

## Sectio II. De rebus et de adquirendo rerum dominio.

102. De rerum divisione vix alia nunc tradi possunt quam in posterum. Sed interponenda hic est potissimum exigua apud Romanos differentia inter res mobiles, et quae hodie immobiles, apud Veteres fundi nomine, appellantur.

Jus in re. dominium. Hugo. pag. 189—196.

103. Omne jus, quod quis in aliqua re habet, aut dominium est, aut jus in re aliena, id est servitus, quae tamen dominii naturam imitatur; nec alia genera in jure Romano occurrunt (*a*).

104. Servitutes jam in usu haberi, nullo certo testimonio constat; attamen propter agriculturae necessitates, et quia de similibus rebus leges duodecim tabularum

---

(*a*) Arg. Gaj. II. 60, 63.

exstant, jura rusticorum praediorum jam fuisse suspicamur (*a*).

105. *Dominii* nomen nondum usurpatur (*b*), sed mancipium dicitur vel auctoritas, aut dicitur res alicujus esse ex jure Quiritium; si non est, dominus esse non videtur (*c*). Cernitur illud jus Quiritium maxime rei vindicatione (*d*), neque aliud est in mobilibus rebus quam in reliquis.

106. Adquiritur non tantum proprio Romanorum jure, sed etiam quibusdam modis naturalibus et aliarum gentium communibus, veluti per alluvionem, et cum in alieno solo aedificatur, item cum res ex re nascitur, quo casu intelligi non potest, ut accessio alius juris sit quam principale. De his juris partibus quaedam duodecim tabularum legibus scripta fuerunt (*e*).

**Adquiritur naturaliter.** Hugo. pag. 200—208.

107. Adprehensione, cujusmodi est etiam traditio, jus Quiritium adquiri non videtur, sed locus fit usucapioni: veluti cum res hereditariae occupantur (*f*), vel pro derelicto habitae a domino (*g*).

108. Neque aliud dicimus in rebus hostium (*h*), neque in venatione.

---

(*a*) Cicero pro Caecina 19. j. L. ult. D. de via publ. L. 8 D. de serv. praed. rust. L. 13. § 2 et 3. eod. j. L. 6. Quemadm. serv. am. L. 21. D. de statu lib. L. ult. D. fin. regund. L. 5. D. ne quid in loco publ. Adde Ulp. XIX. 1.

(*b*) Arg. Cic. de repub. I. 17.

(*c*) Gaj. II. 40.

(*d*) Cic. pro Muraena. 12. de republ. l. c. Gaj. passim.

(*e*) L. 98. f. D. de Solutt. L. 1. de tigno juncto. Tit. D. de glande leg. Plin. N. H. XVI. 6.

(*f*) Gaj. II. 52.

(*g*) L. 4. L. 6. D. pro derel.

(*h*) Arg. Varr. de re rust. II. 10. Gaj. II. 69. § 17. l. de rer. div. Nec obstant Gaj. IV. 16. L. 51. D. de adq. rer. dom.

109. Venatio ferarum Romanis nunquam pro jure fuit.

Civiliter. 110. Jure civili dominium adquiritur vel per universitatem, vel singularum rerum.

Singularum rerum.

111. Singularum rerum his modis, qui omnes sunt legibus duodecim tabularum confirmati, unde actus legitimi et legis actiones appellantur, neque diem vel conditionem recipiunt, neque per extraneum fieri possunt (*a*). 1°. Mancipatione. 2°. Usucapione. 3°. In jure cessione. 4°. Adjudicatione. 5°. Lege (*b*).

Mancipatio. Hugo. pag. 211.

112. Mancipatio, antiquiori nomine mancipium, usitatissima est, a qua dominium ipsum quandoque appellatur (*c*); per aes et libram fit (*d*), adhibito libripende, et non minus quam quinque testibus, qui omnes cives esse debent, masculi, et puberes. Is qui mancipio accipit rem manu capit, pretium appendendum dat (seu verum seu imaginarium), ac certis verbis dicit, eam rem suam esse ex jure Quiritium sibique emtam (*e*). Si res est immobilis etiam absens mancipari potest.

113. Inter peregrinos eos tantum fieri potest quibus commercium datum est.

114. Etiam pactiones adjici possunt, id quod lex mancipii appellatur, et vim obligationis habet (*f*), lege duodecim tabularum.

## Quaestiones.

1. **Qua re differt dominium Romanum maxime a dominio recentiorum populorum?**

(*a*) Vatic. § 49, et 329. Gaj. II. 24. IV. 82. L. 77. D. de reg. jur.
(*b*) Varro l. l. Ulp. XIX. Gaj. passim. Vatic. § 51.
(*c*) Cic. ad fam. VII. 29. Senec. Ep. 72. Lucr. III. vs. 984.
(*d*) Horat. II. Ep. 2. vs. 158. Ovid. Pont. IV. Eleg. 15 vs. ult.
(*e*) Gaj. I. 119.
(*f*) Cic. de Orat. I. 39. Festus *nuncup.* L. 73. f. D. de reg. jur.

2. Cur non perinde patrimonium cujusque in res mobiles et immobiles diviserunt?
3. Sollennia mancipationis quas causas habuerunt? *a* libripens. *b*. testium multitudo. *c*. aes. *d*. verba? *e* rei praesentia.
   Conf. Plin. N. H. 33, 13. Gaj. I. 122. L. 46. D. loc. cond.
4. An mancipatione possessio transfertur? Gaj. IV. 131 extr. Cic. Top. 6.
5. Qui mancipat an nihil dicit? Festus *rodus*.
6. Antestatus quis intelligendus est? Cf. Gaj. Visig. I. VI. 3. Priscianus VIII. 4. (ed. Krehl. I. pag. 369). Horat. I. Sat. IX. vs. 76. Apulej. Metam. II. p. 83. Inscriptt. apud Spangenberg. Tabulae. p. 153. T. Flavii Syntrophi donationis instrumentum ineditum. ed. et ill. P. E. Huschke. Vratisl. 1838. p. 6. med.
7. Num mancipatio omnibus rebus alienandis adhibetur quae mancipari possunt?

115. Usus (postea usucapio, ususcaptio) (*a*), est dominii adeptio (elegantius adjectio) per continuationem possessionis anni vel biennii (*b*). Possessione enim continuata quasi vitium sanatur, quod alioquin obstat quo minus rem quam habes naturaliter etiam jure habeas. Usucapio. Hugo. pag. 217.

116. Quod contingit cum 1°. res non his modis, qui supra scripti sunt, tua facta est; vel 2°. non ab eo qui te dominum facere potuit, sive quod peregrinus erat, sive quod nec ipse dominium habebat (*c*): quae posterior species una superest in Justiniani legibus, quae tamen non peraeque nunc bonam fidem exigit.

117. Nam res hereditariae, adeo ipsa hereditas, annua possessione, usucapiuntur, quamvis scias alienas esse:

(*a*) Gell. VII. 10. Vatic. § 12.
(*b*) Ulp. XIX. 8. L. 3. De usurp. et usucap.
(*c*) Gaj. II. 41. seq.

quae usucapio pro herede, item lucrativa appellatur, ac propter sacrorum observationem concessa est *(a)*.

118. Lege autem ab usucapione eximuntur res vitiosae, id est, furtivae *(b)*, item forum *(c)*, confinium *(d)*, et res mulieris non tutoris auctoritate alienata; nec ipsa mulier quae in tutela est usucapi potest *(e)*. De rebus pupilli dubitatur *(f)*.

### Quaestiones.

1. Cur a definitionibus veterum abest bonae fidei mentio, et tituli possessionis?
2. Quare tam brevi tempore perficitur usucapio?
3. An improbum est, bonam fidem non exigi perpetuam, ut Jure Canonico et Juris Naturalis libris significatur? Cf. Cap. ult. X. de praescriptt. *Schulze. Leitfaden der Entwick. der philos. Prinzipiën des bürg. und peinl. Rechts.* § 217. *Götting.* 1813.
4. Quid sibi vult in hac re *auctoritas?* Cic. Top. 4. pro Caecina 19. Gell. XVII. 7. Cf. *Ballhorn. Ueber dominium. Lemgo.* 1822, passim (vid. Index).
5. Quid Ciceronis illud: *adversus hostem aeterna auctoritas? Puchta. Abhandl. Leipsig* 1823. Schroeter. Observatt. juris civilis. Jenae. 1826. Observ. II. *Holtius* in *Civ. Mag.* fasc. ult.

---

(a) Gaj. II. 52 seq. Cic. ad Att. I. 5. Senec. de benef. VI. 5. Cic. de leg. II. 19, et pro Muraena 12. L. 5. L. 33. § 1. D. tit. cit. L. 2. § 1. D. pro herede.

(b) Gaj. II. 45. L. 33. D. de usurp. et usuc.

(c) Cic. de legg. II. 24. Festus *forum* item *bustum*.

(d) Id. I. 21.

(e) Cic. pro Flacco 34. Scholia Bobiensia apud Orelli. T. II. p. 244. ad Att. l. c. Gaj. II. 47.

(f) L. 48. D. de adq. rer. dom. coll. Basil. T. III. p. 439. L. 4. § 11. eod. Vid. tamen L. 10. D. Quib. mod. servitt. amitt.

6. Cui bono est usucapio instituta apud Romanos: *a.* ad versus m. f. possessorem, *b.* bonae fidei possessoris gratia? *c.* communiter. Cf. *Engelbach. Ueber die Usucapion zur Zeit der zwölf Tafeln. Marburg.* 1828.

119. In jure cessio fit, cum res certis verbis apud magistratum ab aliquo vindicatur, cui res, altero qui cedit consentiente, vel non contradicente, addicitur (*a*). Utilitas ejus potissimum cernitur in rebus incorporalibus alienandis, et in plerisque locis juris personarum, ut antea vidimus. In jure cessio, reliq. Hugo. pag. 225—231.

Quaestiones.

1. Simulatae litis exempla apud alios populos.
2. Cur obligatio eodem modo cedi non potest?

120. Adjudicatio locum habet in tribus judiciis divisoriis, quae sunt: finium regundorum (*b*), familiae erciscundae (*c*), et communi dividundo (*d*). Qualia judicia hoc tempore, etsi per formulas non agitur, non difficillime intelliguntur.

121. Lege vero quo modo nunc adquiratur, ignoraramus; id quod Ulpianus (*e*) dicit fieri ex lege duodecim tabularum in legatis.

122. Postremo Varro dicit (*f*) legitimum dominium adquiri, si e praeda sub corona quis emit (*g*), tumve cum in bonis sectioneve cujus publice venit.

(*a*) Gaj. II. 24. Ulp. XIX. 9 seq. Boëth. III. ed. Orelli. p. 322.
(*b*) Cic. de legg. I. 21. Nonius *jurgium.*
(*c*) L. 1. D. fam. ercisc. Festus. *erctum.*
(*d*) Ulp. XIX. 4. Vatic. § 47.
(*e*) Id. XIX. 17. Cf. tamen idem XI. 14. et Gaj. II. 103.
(*f*) De re rust. II. 10.
(*g*) E. c. vide Liv. IX. 42. Gell. VII. 4.

### Quaestiones.

1. Qua ratione potuit tum jus Quiritium adquiri?
2. An censu dominium non adquiritur? Cf. supra 43. L. 64. D. de adq. rer. dom. L. 7. C. de donatt. Schulting. ad Ulp. I. 8.

123. Alienare potest quandoque qui dominus non est, nam curator furiosi res ejus alienare potest, ex lege duodecim tabularum; de procuratore, et de creditore pigneraticio idem nunc dici non potest (*a*).

124. Adquirimus autem dominium non tantum per nosmet ipsos, sed etiam per illas personas quae juri nostro subjectae sunt. Nec tamen his potest in jure cedi (*b*).

125. Peculia quoque jam in usu habentur (*c*) sed in facto magis quam in jure consistunt.

### Quaestiones.

1. Num tutor potest rem pupilli alienare?
2. Qui alieni juris sunt, cur his non potest in jure cedi, qui tamen recte mancipio accipiunt? Vid. Gaj. IV. 82.
3. Qui in manu mancipiove sunt an peculia habere videntur?
4. Quae est vera peculii natura?

Per universitatem. Hereditas. Hugo. pag. 237—243.

126. Per universitatem succeditur civi Romano si sui juris sit, maxime ei qui in rebus humanis esse desinit; sed etiam inter vivos pluribus modis: quo casu non solum dominium adquiritur; estque inter utramque successionem magna differentia.

127. Qui hoc tempore civi Romano morienti succedit,

(*a*) Gaj. II. 64.
(*b*) Id. II. 96. Cf. 87 et III. 167.
(*c*) Livius II. 41. Plaut. Casin. II. II. 26. Cf. Gaj. IV. 69.

***heres*** ejus dicitur, unde ***hereditas*** (in lege *familia*) (*a*), quae defertur duplex (nec tamen pariter): testamentaria et legitima, improbata pactitia successione (*b*). Potest tamen per in jure cessionem heres fieri (*c*).

### Quaestiones.

1. Quo jure fuerunt in hac re peregrini?
2. Quare concurrere non possunt testamentaria hereditas et legitima? Conf. Cic. de Invent. II. 21.
3. Cur improbata erat successio ex conventione? Eratne omnino improbata? L. 59. D. de donatt. L. 83. § 5. de verb. obl.
4. Cur placuit Germanicis nationibus?

128. In testatore testamentifactio (*la capacité civile*) spectatur utroque tempore; facultas naturalis non utroque, cujus est, ut non sit mutus, surdus, furiosus (*d*). Prodigus cui bonis interdictum est, item mulier, non omnibus modis testamentum facere possunt. Pupillus natura et jure prohibetur (*e*). **Testamenta.** Hugo. pag. 243—247.

129. Testamentorum tria genera sunt: religiosum, militare, civile, eaque palam et sine scriptura fieri videntur: 1°. Calatis comitiis. 2°. In procinctu. 3°. Per aes et libram.

130. Calata comitia bis in anno testamentis faciendis destinata sunt: unde parva rei utilitas intelligitur (*f*).

131. In procinctu testamentum soli militantes facere

(*a*) Cic. Top. 6. Gaj. II. 104. § 7. I. de hered. qual. et diff. Ulp. XXVI. 1.

(*b*) L. ult. C. de pactis.

(*c*) Gaj. III. 85.

(*d*) Ulp. XX. 13.

(*e*) Id. 12.

(*f*) Gaj. II. 101. Gell. XV. 27. Theoph. II. 10. § 1.

possunt. Est enim procinctus expeditus et armatus exercitus. Proelio instante, dum viri vocantur, testator heredes suos nuncupat audientibus proximis commilitonibus (*a*).

132. Quod per aes et libram fit tempore posterius est, neque est verum testamentum, sed familiae sive patrimonii mancipatio certa lege facta. Testator enim familiae emptori legat, sive mandat, quid cuique post mortem suam dari velit (*b*): id quod nuncupatio, et a testibus invocandis ***testatio***, ***contestatio***, ***testamentum*** appellatur (*c*). Hoc genere etiam mulier uti potest (nec tamen utitur hoc tempore); prodigus vero cui bonis interdictum est non potest (*d*).

### Quaestiones.

1. Duo genera priora numquid simile habent?
2. Tertium cur non est verum testamentum: ecquid in eo offendit?
3. Quae erat ejus utilitas?
4. Quo jure valere poterat?
5. Verba legis (Ulp. XI. 14.) ad quodnam testamentum spectant? Conf. *Bydragen*. III. 3. pag. 554.
6. Quare nulla mentio est in definitionibus Veterum heredis instituendi? Cf. Ulp. XX. 1. L. 1. D. Qui testam. fac. poss.

Heres. Hugo. pag. 247—257.

133. Caput et fundamentum totius testamenti est heredis institutio; sed quo modo ea nunc fiat, ignoramus.

(*a*) Gaj. l. c. Plutarch. Coriol. 9. Vellej. Patercul. II. 5. Cic. de Nat. Deor. II. 3. Id. de Orat. I. 53. Virgilii interpretes ed. Majo ad Aen. X. 241.

(*b*) Gaj. II. 102.

(*c*) Ulp. XX. 129. Cf. Festus. *contestari*.

(*d*) Id. XX. 13.

Potest autem heres institui civis Romanus, aut qui in jure civis Romani est, etiam servus; peregrinus vero non potest, certe si ei commercium datum non est *(a)*.

134. Heres defuncti loco succedit, universamque familiam nanciscitur, sive ex re, sive ex parte, sive solus, sive cum aliis deficientibus institutus sit. Pluribus autem res defuncti corporales communiter adquiruntur; obligationes vero ex lege ipso jure divisae sunt *(b)*.

135. Heredes praeterea distinguuntur: 1°. Necessarii heredes, 2°. sui et necessarii, 3°. extranei.

136. Necessarii heredes sunt servi quos in potestate habemus, item liberi homines quos in mancipio habemus: qui ipso jure etiam nolentes heredes fiunt cum a domino heredes esse jubentur *(c)*.

137. Sui et necessarii sunt liberi quos in potestate habemus, item uxor quae in manu est, et nurus quae in manu filii est quem in potestate habemus. Attamen qui non proxime juri nostro subjecti fuerunt, necessarii magis quam sui heredes sunt *(d)*.

138. Extranei heredes sunt qui testatoris juri subjecti non erant, quique volentes heredes fiunt cernendo vel adeundo.

139. Cernere est dicere certis verbis se heredem esse velle; adire est qualicumque modo hereditatem suscipere *(e)*.

140. Nec tantum heres testamento instituitur, sed et

---

*(a)* Gaj. II. 110. Ulp. XXII. 2.

*(b)* L. 1. C. Si un. ex pl. hered. (VIII. 32). L. 26. C. de pactis. (II. 3.) L. 2. § ult. D. fam. erc.

*(c)* Gaj. II. 154 seq.

*(d)* Gaj. II. 156 et 161. conf. L. 6. § 5. D. de acq. hered.

*(e)* Gaj. II. 161 seq. Ulp. XXII. 27.

legata relinquuntur, et libertates dantur, et tutores dari possunt.

141. Quodsi testator statum mutet, veluti per captivitatem, aut si aliud testamentum faciat, item deficiente herede, testamentum vim suam amittit.

### Quaestiones.

1. Regula illa: *Caput et fundamentum* et q. s. unde explicari potest?
2. Num hoc tempore quasdam personas praeterire non licet? Cic. de Orat. I. 38. extr. Val. Max. VII. 7.
3. Num rumpitur agnatione?
4. An exheredationes jam usitantur? Conf. L. 4. D. de inoff. test.
5. An substitutiones? Cic. ibid. I. 39. de Invent. II. 21. Theoph. ad pr. I. de pupill. subst.
6. Suus heres unde appellatur? Gaj. II. 157.
7. Cur cretio jam usitari videtur? Cic. de Orat. I. 22. Varro L. L. pag. 99. ed. Bip. Festus *crevi.*
8. An non fit coram testibus? Cic. ad Att. XIII. 46. Quaedamne fuerunt in ea ridicula solennia? Cf. Ambros. de Off. III. 2. cum Cic. de Off. III. 19.
9. Legata per vindicationem quatenus relinqui non possunt? Vid. *Bijdragen* l. c.

Legitima hereditas. Hugo. pag 257.

142. Si intestatus moritur, tria genera heredum lege vocantur: 1°. Suus heres; 2°. agnatus proximus; 3°. gentiles (*a*).

143. In legitimis hereditatibus successio non est (*b*): quae regula etiam suos heredes comprehendit (*c*).

144. Qui sint sui heredes supra scriptum est. Qui re-

(*a*) Ulp. XXVI. 1. Id. in Coll. T. ult. 4.

(*b*) Id. XXVI. 5.

(*c*) L. 1. § 8. D. de suis et leg hered.

motiori gradu sunt, veluti nepotes ex filio praemortuo, in patris sui locum portionemque succedunt, cui est consequens ut hereditas in stirpes, non in capita dividatur (*a*), idque lege duodecim tabularum cautum est (*b*).

145. Agnati sunt cognati per virilis sexus personas conjuncti, sive illud vinculum nativitate, sive per adoptionem, sive per in manum conventionem quaesitum sit. Nam et mulier quae in manum convenit filio suo sororis loco est (*c*). Neque distinguitur hoc tempore inter agnatos et agnatas (*d*); neque terminus agnationis est ultra quem hereditas non deferatur.

146. Agnato proximo deficiente vocantur gentiles (de quibus dictum est supra n°. 99), fortasse eo ordine qui in agnatorum hereditatibus servatur (*e*).

147. Quem et in libertorum hereditatibus servari constat, quibus patronus, item patroni liberi, ita legitimi heredes sunt, ut proximus semper excludat remotiorem, et hereditas in capita dividatur, non in stirpes (*f*).

148. Quod de patrono dictum est idem valet de patrona, sed liberi patronae (ceu tales) non vocantur, non magis quam qui e familia patroni alienati sunt.

149. Hodie constat patronum nominatim lege apprehensum fuisse, non etiam liberos patroni (*g*).

---

(*a*) Gaj. III. 7, 8, 15.

(*b*) L. 3. C. de suis et leg. lib. (VI. 55). Cf. tamen Gaj. III. 15.

(*c*) Gaj. III. 24.

(*d*) Id. 23. Conf. § 3. I. de leg. agn. succ.

(*e*) Arg. Ulp. XXVIII. 7.

(*f*) Ulp. XXVII.

(*g*) Vatic. § 308. j. L. 3. D. de leg. tut.

QUAESTIONES.

1. Angustiae, qua cernitur jus agnatorum, quid causae esse possit?
2. Cur eadem angustia non impediuntur sui heredes?
3. Differentiae quae sunt inter suos heredes et reliquos an aliqua ratione explicari possunt?
4. Quae videtur esse necessitudo inter patronorum successionem et gentilium?
5. Legitima hereditas an testamentaria, utra potior erat apud Romanos? Utra nunc crebrior?

Aliae successiones. Hugo. pag. 271. 150. Successiones quae non jure hereditario fiunt, sunt, quae ex emtione bonorum contingunt, per arrogationem, et in manum conventionem, item per in jure cessionem hereditatis. Prima tamen usitari nondum videtur *(a)*.

151. Per arrogationem bona arrogati universa ad arrogatorem transeunt, etiam obligationes, non tamen aes alienum. Idemque contingit per in manum conventionem *(b)*.

152. Per in jure cessionem hereditatis ipsa hereditas transfertur, et is cui ceditur loco cedentis heres fit, si ab eo hereditas legitima ceditur, ante quam ipse cernendo aut adeundo heres exstiterit.

153. Nam post aditionem cedendo heres manet, atque res corporales tantum transferuntur, debitores autem hereditarii liberantur.

154. Testamentaria quidem hereditas non nisi post aditionem cedi potest.

155. Necessarii vero heredes an omnino cedere possint, non constat *(c)*.

---

(a) Arg. Cic. de legg. II. 19 coll. cap. 20.
(b) Gaj. III. 82 seq. et IV. 38.
(c) Id. 85 seq. et II. 34 seq.

156. Quando per universitatem succeditur, sive inter vivos, sive ex mortis causa, jure pontificio etiam sacris provisum est. Sacra.

157. Sacra hoc tempore suscipere coguntur: aut heres, aut qui majorem partem pecuniae usu cepit, aut cui major pars pecuniae legata est, si inde quippiam ceperit *(a)*.

158. Arrogationibus autem, ac testamentis quae calatis comitiis fiunt, praesunt pontifices, qui sacrorum causae prospicere possunt.

159. Quodsi mulier in manum conveniat, ad virum sacra transferri videntur *(b)*.

### Quaestiones.

1. Quum bona publicata veneunt, an successio ex ea causa esse non videtur? Conf. Liv. III. 55. Gell. 1. 12. Gaj. IV. 146.
2. Quam iniquitatem habet arrogatio, et qua ratione potest illa excusari?
3. Quam utilitatem habet in jure cessio hereditatis?
4. Cur testamentarii heredes perinde cedere non possunt?
5. Cur minus possunt necessarii?
6. Quae sunt illa sacra privata? Festus *publica sacra.* Plinius N. H. 34. 38. Legatur Savigny: *Zeitschr.* II. 15.
7. Quid sibi vult proverbium: *sine sacris hereditas?* Cf. Festus in voce. Plaut. Captiv. IV. I. 8.
8. Quid est sacrorum detestatio? Cf. Gell. XV. 27. idemque VI. 12. L. 238. § 1. D. de verb. signif. Cic. Orator. 42. Leg. Savigny. *Zeitschrift* II. pag. 399.
9. Cum arrogatio fit, quo modo possunt pontifices sa-

(a) Cic. de legg. II. 20. Top. 6. Gaj. II. 55.

(b) Arg. Cic. pro Murena 12. Nec obstat de legg. II. 20. Conf. quoque L. 1. D de ritu nupt.

eorum causam tueri? An fecisse constat? Cic. pro domo *passim*.

10. Quid eorum bonis fieri credamus, qui jure civili in servitutem detruduntur, veluti ex addictione; aut jure publico, puta qui incensi veneunt? L. 6. D. de in integr. restt. L. 2. D. de cap. minut.

## Sectio III. De obligationibus.

Obligatio. Nexus. Hugo. pag. 275.

160. Etiam hoc nomen nunc ignorari videtur, estque legitima denominatio nexus (*a*); necesse tamen est ut obligationes nominemus, quoniam nexus nomen angustius est.

161. Nascuntur omnes obligationes vel ex contractu, vel ex delicto; quodsi facti species contractus proprie vel delictum appellari non possit, obligatio tamen ad alterutrum genus refertur (*b*). Exemplum est in obligatione ex testamento, et in ea qua tutor pupillo tenetur, de qua ante dictum est.

Contractus. Hugo. pag. 280—292 et 300.

162. Contractus est cum negotii geritur aliquid (*c*), ac proprie dicitur cum negotio inest conventio.

163. Hoc tempore potissimum per aes et libram fit, atque nexus tum appellatur. Fortasse tamen et certis verbis fit sine aere et libra. Nudis autem verbis vel tacito consensu non credimus obligationes fieri (*d*).

164. Plane nec re, sive nuda traditione, obligationes

(*a*) Cic. pro Mur. 2. Festus *nexum* et *nuncupata*. Varro L. L. VI. pag. 181. Liv. VI. 14. Gaj. III. 173. L. 1. § 4. D. ne vis fiat ei. L. 22. §. 1. D. de jure fisci, et passim.

(*b*) Gaj. III. 88.

(*c*) Gaj. III. 91. extr. Cic. Tusc. V. 36. extr.

(*d*) Arg. L. 18. L. 21. D. de hered. vel act. vend. L. 4. D. de usur. Gaj. III. 170 j. 173. Cic. de Off. III. 16. L. 6. § 1. D. de neg. gest.

contrahi videntur. Certe mutui dationem, depositum, ac pignus, per aes et libram fieri exstat (*a*).

165. Per aes et libram obligatio maxime fieri videtur cum aliquid mancipatur, ac legem mancipii dicunt (*b*); universe autem imitari mancipationem (*c*).

166. Verborum obligatio stipulatio, item sponsio, appellatur (*d*); verba autem directa esse debent. Latina, et per interrogationem ac responsionem concepta (*e*).

## Quaestiones.

1. An verum sit, quod quidam putarunt, obligationes in jure ac legibus populorum tardius crescere, quam jura personarum atque dominium?
2. Suntne jam obligationes quasi ex delicto?
3. An depositum in lege 12 tabb. nominatur? Coll. X. 7.
4. An pignus, et quale est? Paul. II. 13. L. 238. § 2. D. de verb. signif. Gaj. IV. 26.
5. Nexus et mancipium quid differunt?
6. Quae sit vera verbi potestas *stipulationis*?
7. Cur nuda voluntas apud Romanos minus obligabat quam hodie?
8. An scriptura hoc tempore contrahitur?

167. Celebris est in historia Romana illa obligatio quae foenus, item res foenebris, versura, usura appellatur, qua saepe respublica periclitata est, quaeque legibus publicis non paucis materiem praebuit. Foenus. Hugo. pag. 293.

(*a*) Arg. Gaj. I. 122. II. 60. Varro de L. L. Lib. IV. extr. Festus l. c. Isid. V. 25. *fiducia.*

(*b*) Cic. in Topic. 10. de off. III. 16 et passim. Q. Mucius in L. 73 f. D. de reg. jur.

(*c*) Cic. Top. 5 extr. de harusp. resp. 7. pro Caec. 35 extr. Festus l. c.

(*d*) Varro l. c. Gaj. III. 92. Isid. V. 24. pr. I. de verb. obl.

(*e*) Gaj. l. c. seq.

168. Jam lege duodecim tabularum cautum est, ne quis unciario foenere amplius exerceret (*a*): de cujus tamen foeneris modo varie disputatur.

169. Contrahi videtur cum pecunia mutua appenditur nexu, nec postea nisi verbis sollennibus contrahi potuit.

Quaestiones.

1. Foenus, τόκος, versura, usura quid differunt? Festus in voce. Gell. XVI. 12.
2. Unciarium foenus quantum est? Ulp. VI. 12 et 13. Festus *unciaria lex*. Polyb. 32. 13.
   Leg. Schrader. *Civil. Magaz.* V. pag. 180. Niebuhr. I. pag. 437. ed. pr.
3. Usurae immodicae an usitatae erant apud Romanos? Liv. VI. 14. Cic. ad Att. V Ep ult.
   *Savigny. Ueber den Zinswucher des M. Brutus*, in commentationibus Academiae Berolinensis, classis historico-philol. 1818—1819.
4. Leges foenebres quam vim habere solent? Vid. Liv. VI. 35.
5. Cur tanta invidia flagravit contractus iste apud Veteres et Recentiores? Cato de re rust. initio. Cic. de Off. II. 25. Gaj. IV. 23. Seneca de benef. VII. 10. Legatur J. Müller. Dissert. Ratio et historia odii quo foenus habitum est. Goett. 1822.

170. Uti rerum dominium, ita obligationes quoque per eos adquirimus qui juri nostro subjecti sunt.

171. Solvuntur obligationes universe eodem modo quo contractae sunt (*b*); itaque quod per aes et libram gestum est eodem modo solvitur (*c*), et verborum obli-

(*a*) Tacit. Ann. VI. 16. Conf. tamen Liv. VII. 16.
(*b*) L. 153. D. de reg. juris.
(*c*) Gaj. III. 173. Varro. Lib. IV extr. Cic. de leg. II. 20 et 21.

gatio tollitur verbis. Quaedam tamen species hanc regulam egrediuntur, puta cum lege agitur (*a*); neque obligationes quae ex delicto nascuntur eam recipiunt.

172. Delicti, vel maleficii (nunc potius noxae), ex quo obligatio nascitur jam tres species sunt, de quibus legibus duodecim tabularum cavetur: furtum, damnum, injuria. Maleficia. Furtum. Hugo. pag. 301.

173. De damno locus non exstat, quippe postea nova lege inutilis factus (*b*); exstat vero de pauperie quadrupedum (*c*), de pastu pecoris (*d*), et de caesis arboribus (*e*).

174. Furtum ipsa lege duplex distinguitur: manifestum et nec manifestum.

175. Manifestum nunc est duntaxat quod deprehenditur dum fit. Ejus enim poena capitalis est (*f*).

176. Lege tamen etiam manifestum furtum est, quod per lancem et licium (seu linteum) conceptum est (*g*).

177. Poena furti nec manifesti est duplum.

178. Habentur praeterea furtum conceptum et furtum oblatum, quorum lex poenam jubet esse tripli: sed illa magis actiones quam furtorum genera esse videntur (*h*).

179. Furem nocturnum occidere licet, cum vocifera-

(*a*) Gaj. IV. 108. III. 180. IV. 21.

(*b*) L. 1. D. ad L. Aquil. Conf. tamen Festus *rupitias*, et L. 9. D. de inc. ruin naufr. j. Festo *noxia*.

(*c*) L. 1. D. si quadrupes.

(*d*) L. 14. §. ult. D. praescr. verb.

(*e*) Plin. N. H. XVII. 1. Tit. D. arb. furt. caes.

(*f*) Gell. XI, ult. Serv. ad Aeneid. VIII, 205. Gaj. III. 189. Isidor. Orig. V. 26.

(*g*) Gaj. III. 192 seq. Festus *lanc. et lic.* Gell. l. c. Id. XII. 3.

(*h*) Gaj. III. 183 et 186 seq.

tione; diurnum non aliter quam si se telo defendat: de qua re lege satis diligenter cautum est (a).

180. Quaedam praeterea facta lege vindicantur furto similia, veluti tignum junctum (b), fraus facta pupillo (c), falsae vindiciae (d), item foeneris non legitima exercitatio (?) (e).

QUAESTIONES.

1. Cur pleraque delicta apud Romanos jure privato vindicantur?
2. Furti manifesti cur poena multo severior est? An ejus poenae persecutio est privata?
3. Per lancem et licium concepti sollennia quam causam habent?
4. An idem mos apud alias gentes occurrit?
   Vid. Plato de legg. pag. 954. A. Bip. IX. pag. 202. Scholiastes ad Nubes Aristoph. Lex Romana Burgund. Tit. 12. Stiernhöök de jure Sueonum et Gothorum, pag. 373. Holmiae. 1672. *Oude Friesche Wetten. Camp. en Leeuw.* 1782. I. p. 84. *Jydske Lov.* L. II. C. 97.
5. An fundi furtum fieri potest? Gell. XI, cap. ult. XVI. 10.
6. Poena quadrupli in foeneratores an legi Marciae, an vero duodecim tabulis tribuenda videtur? Cf. Gaj. IV. 23.

Injuria. Hugo, pag. 304. 181. Injuria hoc tempore triplex distinguitur: 1°. Membrum ruptum, id est, corruptum sive inutile factum, cujus poena legitima talio est. 2°. Os fractum vel collisum, quod 300 assibus in libero, in servo 150

(a) Cic. pro Tullio pag. 108 ed. Peyron. L. 4. § 1. D. ad L. Aquil.

(b) Festus *tignum*. Tit. D. de tigno juncto. L. 98. f. D. de solutt.

(c) Vide supra 93.

(d) Festus *vindiciae*.

(e) Cato l. l.

assibus vindicatur. 3°. Ceterae injuriae, quarum 25 assium poena est constituta (*a*).

182. Acrior tamen poena est, »si quis occentassit, »sive carmen condiderit quod infamiam faceret flagi»tiumve alteri,» quam rem decemviri capite sanxisse traduntur (*b*).

183. Ceterum asperitas poenae in furti et injuriarum causis temperata est paciscendi facultate legitima (*c*).

184. Quodsi ab eo delictum sit qui alieno juri subjectus est, is quocum agitur noxae deditione liberatur, quae deditio etiam prodest ubi quadrupes pauperiem fecisse dicitur (*d*).

### Quaestiones.

1. Talionis exempla num alibi exstant? Leg. Michaël. *Mos. Recht.* V. § 241.
2. Membrum ruptum et os fractum quid differunt?
3. Carmen famosum cur tam severe vindicatur?
4. Judicione privato vindicatur, an publico?
5. Quod de eo Cicero refert, an certum est? Cf. Horat. l. c.
6. Quid sibi vult illud *occentare?* Vid. Festus in voce.
7. Omnesne personae alieni juris an noxae dedi possunt? Cf. Gaj. IV. 75 et 80.

## Sectio IV. De actionibus.

185. Actiones quae nunc in usu habentur legis ac- Legis actio. Sacramentum. Hugo. pag. 307 et 311.

(*a*) Festus *talio.* Gell. XX. 1. Gaj. III. 223.

(*b*) Cic. de rep. (apud Aug. de civit. Dei II. 9) Tuscul. IV. 2. coll. Horat. II. Ep. I vs. 152.

(*c*) Gell. l. c. Gaj. IV. 37. L. 17. § 1. D. de pactis. Festus. l. c.

(*d*) Gaj. IV. 75. L. 1. D. Si quadrupes. Conf. Plutarch. Solon. 24.

tiones appellantur, quae primum ex legibus duodecim tabularum sunt conformatae (*a*).

186. Quae ratio agendi cum severa est, tum vero simplex: nam quinque genera quae apud Gajum recensentur, quae nec omnia hoc tempore usurpantur, ad unum facile revocari possunt.

187. Primum enim sacramenti actio generalis est, eique 2°. judicis postulatio subjecta est; 3°. condictio nondum frequentatur, ejusque utilitas non est evidentissima (*b*); 4°. manus injectio litis ordinandae tantum vicem obtinet (*c*); 5°. pignoris capio an legis actio sit, merito dubitatur (*d*).

188. Plures autem quam quinque legis actiones esse non videntur (*e*).

189. Quoties sacramento agitur nunc depositio pecuniae fit, in rebus mille aeris quingentorum, in minoribus, et cum de libertate agitur, quinquaginta assium; quae pecunia a parte victi aerario pontificum cedit, ut rebus divinis impendatur (*f*).

190. Si in personam agitur, judex datur, apud quem litigantes stato condicto die causam exponant atque perorent (*g*).

Vindicatio. 191. Si in rem agitur prius utrinque fit vindicatio

(*a*) Gaj. IV. 11. Pomp. § 6. Vatic. §. 318. Zimmern. III. § 32 seq.

(*b*) Id. IV. 20.

(*c*) Gell. XX. 1. extr.

(*d*) Gaj. IV. 26 et 29.

(*e*) Cf. Id. II. 24. Vatic. § 49. Buchholtz. pag. 45. L. 3. D. de off. procons. *Dirksen. Beyträge z. Kunde des Röm. Rechts. Leipz.* 1825. pag. 224.

(*f*) Varro de L. L. IV. p. 49. Festus *sacramentum*.

(*g*) Gaj. l. c. § 15. Gell. XVII. 2. Ps. Ascon. in Verrin. I. Cap. 9. Orelli p. 164. Plaut. Curcul. I. 1. 5. Cic. de off. I. 12.

in re praesenti, quae si sit mobilis aut se movens in jus adducitur; si fundus, nunc cum magistratu itur in fundum, ibique vindicatione rite facta, sequitur provocatio sacramento; deinde judice dato, secundum alterum *vindiciae* dicuntur, id est, possessio constituitur a Praetore, isque praedes dare debet *litis et vindiciarum*, id est, rei et fructuum *(a)*.

192. Haec omnia coram magistratu sollennitur dicuntur atque fiunt, vetusto ritu, ex quo populi prisca simplicitas, vitaeque militaris forma cognoscitur *(b)*.

193. Quae autem apud judicem fiunt, ac deinceps cum sententia dicta est, non hujus loci sunt, sed postea, cum de jurisdictione dicetur, plenius enarrabuntur.

194. Judicis postulatio quatenus propria legis actio sit, neque pars et sequela sacramenti, non exstat; constat tamen hunc morem, quo nihil antiquius est in lite Romana, duodecim tabulis confirmatum esse pluribus legibus *(c)*.

195. Manus injectio fit in causa judicati. Actor judicatum, vel in jure confessum, corporis parte prehendit, simul certis verbis dicens qua de causa eum prendat. Quo facto, judicato non licet manum sibi depellere, sed vindicem dare debet qui pro se causam agat, alioquin domum ducitur ab actore et vincitur. Apud magistratum hoc fieri dicitur; prehensio tamen cum in jus vocatur jam fieri incipit *(d)*.

Manus injectio. Pignoris captio. Hugo. pag. 317.

*(a)* Gaj. l. c. Cic. pro Mur. 12. de Orat. I. 10. Festus *vindiciae*. Gell. XX. 10. Pomp. §. 24. Ps. Ascon. pag. 191.

*(b)* Gell. et Gaj. l. l. c. c. Cic. de Orat. I. 43: *actionum genera*.

*(c)* Cic. de legg. I. 21. Festus *reus*. Gell. XX. 1. Ps. Ascon. l. supra l.

*(d)* Gell. l. c. et XVI. 10. Festus *struere* et *vindex*. Gaj. IV. 29 extr. Tit. D. in jus vocati uteant. L. 233. D. de verb. signif. Legatur Savigny. *Ueber das altrömische Schuldrecht. Berlin* 1834. p. 13.

196. Pignoris capio, uti sacramentum, lege sacrorum causa instituta est, adversus hostiae emtorem, item adversus mercedis debitorem sacrificio impensis destinatae. Capitur res ab actore certis verbis, sed extra jus, adeo absente adversario, eoque die quo lege agere non licet. Neque ex lege duntaxat, sed etiam moribus pignoris captio concessa est, propter aes militare, equestre, hordearium (*a*).

197. His modis lege agitur. Sed unusquisque suo nomine agere debet, non per alium; cognitores enim et procuratores nondum usitantur (*b*).

198. Excipiendae tamen sunt ab hac regula: 1°. Manus injectio, cum vindex pro judicato agit; 2°. populi causa; 3°. libertatis causa, cum per adsertorem quis in libertatem vindicatur; 4°. tutela, cum tutor agit pro pupillo (*c*).

199. Neque exceptiones nunc in usu habentur, neque interdicta (*d*). Officium judicis litigantium voluntate et moribus regitur, non formula praetoris.

200. Litigantium temeritas vel calumnia sacramenti poena coërcetur, et infamia: cujus exemplum est in tutelae judicio. Etiam legibus et moribus minuitur aut consumitur existimatio (*e*).

### Quaestiones.

1. Quare legis actiones appellantur? Gaj. IV. 11. Cic.

---

(*a*) Liv. I. 43. Gell. VII. 10.

(*b*) L. 123. D. de reg. juris.

(*c*) Gaj. IV. 82. pr. I. de iis per quos agere.

(*d*) Id. IV. 108, 141. Conf. Cic. de Orat. I. 10.

(*e*) Gell. XV. 13. L. 26. D. Qui testam. facere poss. Cf. Gaj. IV. 182. Sallust. Jugurth. 67.

Top. 17 juncto pro Tullio pag. 108. Conf. Blackstone IV. 23: *In indictments* etc. Id. II. 2. extr.

2. Quid de actibus legitimis dicendum, qui in L. 77. D. de reg. jur. nominantur? Dirksen. l. c.
3. Quid de in jure cessione et de legato?
4. Manumissio et emancipatio qua ratione possunt ad legis actiones referri?
5. Unde *sacramenti* nomen, et reliquae ejus verbi potestates?
6. Apud alias nationes semibarbaras an similiter vis militaris in litigandi ratione conspicua est?
7. Manus injectio quae apud Servium occurrit (Aeneid. X. vs. 419), item quae in Digestis, et in Vatic. § 6, qualis intelligenda est?
8. An manus injectio singularis erat in causa creditae pecuniae? Cf. Gell. XX. 1: *aeris confessi.*
9. Pignoris capio adversus senatores qualis erat (Gell. XIV. 7), item quae occurrit in jure Justinianeo?
10. Si interdicta nondum erant, quo modo causam possessionis tuebantur? An credibile est principium saltem et originem interdictorum nondum ullam fuisse?

# CAPUT IV.

## DE JURE PUBLICO.

### SECTIO I. REIPUBLICAE CONSTITUTIO.

201. Summa reipublicae potestas est penes populum Romanum, et penes partes populi, quae pleraque conjuncta opera regunt; non vero sua cuique negotia certa lege adsignata sunt.

Populus. Comitia. Leges. Hugo. pag.324.

202. Populum Romanum constituunt cives Romani masculi pueritiam egressi (*a*), in comitiis rite suffragia ferentes, sive curiatis sive centuriatis. In utrisque filiifam. et libertini homines admittuntur; non aeque qui nullius gentis sunt.

203. Curiata comitia nondum imaginaria sunt, lictorum, sed populi, etsi alterius rei confirmandae causa plerumque habentur (*b*).

204. Propria eis sunt res militaris (*c*), illaque juris privati negotia de quibus alias dictum est. Convocatio fit curiatim per lictores, ac suffragia viritim per curias eduntur (*d*). Rogationis formula apud Gellium exstat (*e*).

205. Centuriata comitia edicente magistratu, plerumque tamen jussu senatus habentur; coguntur per buc-

(*a*) Gell. X. 28. Festus *pube*.

(*b*) Cic. de republ. II. 13. Liv. V. 46.

(*c*) Id. Cap. 52. Cic. de lege agr. contra Rull. II. 12.

(*d*) Gell. XV. 27. Liv. I. 43.

(*e*) Gell. V. 19.

cinatorem (*a*). Suffragia centuriatim, hoc tempore voce, non tabellis, feruntur (*b*). Sed nihil ratum est nisi patres auctores fiant (*c*), ac facile turbantur vel impediuntur, Iovis tonitru, morbove comitiali, vel magistratu de coelo servante. Augures quoque vitium obtendere possunt, cum id ex re esse videtur (*d*).

206. In his comitiis haec fere aguntur: 1°. magistratus creantur; 2°. leges rogantur; 3°. habentur judicia publica.

207. Consulum creandorum causa quotannis in tempore habentur, ne respublica facile sine magistratu sit, et quia res est perpetua ipsa creatio *comitia*, item *comitia consularia* appellatur; ex diverso apud Graecos quaelibet comitia ἀρχαιρεσίαι (*e*). Turbida jam sunt, sed legibus, veluti annalibus, vel de ambitu, nondum coërcentur. Candidati debent esse patricii.

208. Leges a consule feruntur, sive rogantur, postquam per trinundinum sunt promulgatae (*f*); ac populos in suffragia missus jubet vel antiquat, unde jussum vel scitum populi id quod perlatum est appellatur; lex enim dicitur quoque nuda rogatio. Potest esse specialis de una re vel negotio, etsi privilegia duodecim tabulis prohibentur (*g*).

209. Judicia publica, id est, populi, si de capite civis agitur, in his tantum comitiis habere fas est (*h*).

(*a*) Gell. XV. 27.

(*b*) Cic. de legg. III. 15.

(*c*) Liv. I. 17. coll. VIII. 12.

(*d*) Id. XL. 42. Cic. de legg. II. 12. de divinat. II. 35.

(*e*) Tacit. Hist. II. 91. Dionys. IX. pag. 598.

(*f*) Macrob. Saturn. I. C. 16. p. 282.

(*g*) Conf. Gell. X. 20. Cic. de legg. III. 19.

(*h*) Cic. l. l. Conf. Liv. II. 35.

QUAESTIONES.

1. Regiminis forma apud Romanos qualis erat? Cic. de republica.
2. *Comitia*, *comitium*, *comitiatus* quid? Cic. de legg. I. 1. Id. II. 12.
3. Quid *calata* comitia?
4. Quid est trinundinum?
5. Quid *promulgare?* Festus in voce.
6. Quae est origo verbi *legis*, quae potestas?
7. Quid est privilegium? Conf. Orat. pro domo 17 et 18.
8. Quid *caput?* Quae jura eo nomine continentur.

Senatus. Hugo. pag. 329.

210. Senatum constituunt primum non alii quam patricii; post Prisco Tarquinio rege etiam conscripti de plebe, qui *minorum gentium patres* appellantur, ac deteriori jure utuntur (*a*). Ex eorum progenie deinceps senatores leguntur (*b*), ac durant dum in censu non praetereuntur. Sacro ritu (*c*) convocantur a consule, ac pignoris captione venire coguntur (*d*); eodem magistratu referente res aguntur (*e*), verum orationem consularem informare possunt aut ampliare senatores *censendo*. Si non tribuni intercedunt, id quod deliberatione peracta pluribus placuit *senatus consultum* appellatur, idque legis vicem obtinet (*f*); alioquin perscribitur *senatus auctoritas* (*g*). Nonnunquam senatus con-

(*a*) Cic. de rep. II. 20.

(*b*) Gell. III. 18.

(*c*) Id. XIV. 7.

(*d*) Liv. III. 38. Cic. de Senect. 16.

(*e*) Gell. I. 1.

(*f*) Gaj. I. 4.

(*g*) Gell. XIV. 7. Cic. ad fam. VIII, 8. Tacit. Annal. XIII. 26. Dion. Cass. LV. 3. Festus *Senatus*.

sulta supprimuntur vel vitiantur arbitrio consulum (*a*); quocirca institutum est anno 304, ut in aedem Cereris deponantur uti leges solent, custodiae aedilium plebis. Populo tamen proponi non solent.

211. Potestas senatus omni tempore magna fuit, alia tamen alias: nunc potissimum quotidianae incumbit reipublicae administrationi, exsequentibus consulibus. Jus belli ac pacis anno 328. ei ademptum est, et ad populum translatum (*b*); neque magistratus creare potest, sed creandis auctor fit, ut et legibus ferendis. Ex diverso dictatorem potest creare.

## Quaestiones.

1. Quo loco ac tempore potest senatus haberi? quid est templum? Gell. XIV. 7.
2. Consul ad populum *fert*, ad senatum *refert:* quid interest?

212. Magistratuum est populo praeesse, et senatui; praeterea imperium habent et jurisdictionem. Magistratus. Hugo.pag.330.

213. Pro imperio possunt cives vinculis ac verberibus coërcere, salva tamen provocatione ad populum, per leges Porcias et Valerias; ejusque ministros habent lictores cum fascibus et securibus (*c*).

214. Temperamentum tamen hujus potestatis cum in tempore est tum in numero, atque alter alterum cohibere potest (*d*).

215. Hujusmodi magistratus sunt hoc tempore duo consules, iique ad quos, vel interim quandoque consu-

(*a*) Liv. III. 55.
(*b*) Liv. IV. 30. Conf. id. IV. 60.
(*c*) Pomp. § 16.
(*d*) Cic. de legg. III. 3.

lare imperium transfertur, veluti interrex, dictator, praefectus urbi (*a*), vel perpetuo uti tribuni militum consulari potestate (310–387).

216. Accesserunt anno 311. censores duo, qui in quinquennium leguntur (sed ex lege Aemilia (319) post annum et sex menses abdicare debent), ad censum agendum, ut de civium numero et de facultatibus cujusque constare possit, quod adhuc consules egerant. Postea tamen officium eorum dilatatum est (*b*).

217. Alius magistratus est quaestores aerarii duo a rege, aut consulibus, aut postea populi suffragio creandi (*c*).

218. Item aediles plebis, qui urbem curant, et plebi jus dicunt de rebus in foro venalibus (*d*).

219. Non etiam tribuni plebis, quorum nullum imperium est, sed auxilium; nec jus dicunt, sed intercedunt (*e*).

220. Capitalibus rebus praesunt quaestores parricidii (*f*).

## Quaestiones.

1. Origo potestatis quam habent magistratus populi Romani.
2. Quid est imperium? quid jurisdictio?
3. Quaestores aerarii an hanc habent?
4. Aediles plebis quales erant? Vid. Creuzer o. c. § 146. (ed. nov. pag. 196).
5. Quaestores parridicii an recte inter magistratus numerantur?

---

(*a*) Tacit. Ann. VI. 11.

(*b*) Liv. IV. 8. Tab. Heracl. Sect. 11. Cic. de leg. III. 3.

(*c*) Tacit. Ann. XI. 22. Ulp. in L. un. D. de off. quaest.

(*d*) Festus in voce. Cic. de legg. III. 3.

(*e*) Gell. XIII. 12.

(*f*) Liv. I. 26. Pomp. § 23.

221. Plebs, sive plebes, congregatur in comitiis tributis (*a*), auctore tribunorum aliquo, aut collegio tribunorum, etsi consules idem jus habent (*b*). Plebs. Hugo. pag.328.

222. In his tribuni et aediles plebis eliguntur, ac feruntur leges, quae perlatae plebis scita appellantur, quibus diu sola plebs tenetur (*c*). Judicia quoque plebis habentur, non tamen jure capitalia (*d*).

QUAESTIONES.

1. Quid est plebs? Vid. Strässer. *Versuch über die röm. Plebejer der ältesten Zeit. Elberf.* 1832.
2. Quid tribunus plebis? Creuzer. o. c. § 150 et auctt. citt. quibus adde Schirmer. de tribuniciae potestatis origine ejusque ad XII. tabb. leges progressu. Toruni 1826.
3. Potestatem plebis rogandae an jure habuerunt?
4. Judicia plebis de patriciis viris quo jure exercebantur?

SECTIO II. REIPUBLICAE ADMINISTRATIO.

223. Sacris prospiciunt praeter senatum et magistratus in primis pontifices, quorum collegio praeest pontifex maximus, idque cooptatione suppletur. Pontifex ille praeterea annales populi scribit, de jure sepulcrorum statuit, testamentis praeest et arrogationibus, ac dicitur juris divini conditor, uti humani juris conditores postea erant ac dicebantur Prudentes. Sacra. Hugo. pag.336.

224. Est etiam pontificum cura fastos componere,

(*a*) Gell. XV. 27.
(*b*) Id. XIII. 15.
(*c*) Liv. III. 55.
(*d*) Liv. II. 35. IV. 41.

quae res, ut in vita hominum universa, et in juris administratione vim habet, propter dies festos quibus agere non licet, et propter ferias. Hoc tempore non peritissime ordinantur.

225. Deinde in jure publico augures et feciales notandi sunt, ut in jure privato flamines et virgines Vestae.

QUAESTIONES.

1. Qualis erat apud Romanos temporis descriptio? Consul. Wurm. de ponderibus. Stutgard. 1820. pag. 145. Ideler. in Commentt. Acad. Berolin. 1818-1819. pag. 101.
2. Dies *festus*, *profestus*, *fastus*, *nefastus*; dies *comitales*, *religiosi*? Quid feriae, nundinae, justitium? Macrob. Sat. I. pag. 276. seq. (ed. Bipont.)

Militia. Hugo. pag. 341. 226. Res militares atque civiles arctissime sunt conjunctae. Comitia populi, quae rectore consule habentur, sub dio, in campo Martio, non dissimilia sunt exercitui. E Servii Tullii instituto qui jure suffragii, iidem armis potiores sunt (*a*), unde proletariis et capite censis nulla permittuntur. Aetas militandi est annus decimus-septimus ad quadragesimum-sextum (*b*); sed praeter aetatem, et emerita stipendia, aliae vacationes sunt, veluti propter magistratum et sacerdotium, non tamen multae.

227. Bello a senatu populoque decreto, delectus a consule habetur; hic diem edicit quo populus adesse debeat; qui ad nomina non respondent, in poenam incidunt gravissimam (*c*).

228. Militiam partim suo quisque sumtu faciunt,

(*a*) Liv. I. 44.
(*b*) Gell. X. 28.
(*c*) Liv. VII. 4. L. 4. § 10. D. de re militari.

senatu tantum victum et commeatum ceteraque exercitui necessaria subministrante (*a*); mature tamen (anno 348), additum est stipendium. Praeda cedit reipublicae.

229. Potestas imperatoris in corpora ac vitam militum infinita est, cum militiae cesset provocatio; disciplinaque utitur severissima. Immorigeri vitibus castigantur, nec tamen deest virtus. Praeterea sacramenti religione continentur (*b*).

QUAESTIONES.

1. Sententia Romanorum de militandi officio? L. 19. § 7. D. de capt. et postlim.
2. Qualis erat necessitudo inter militem et imperatorem?

230. Praeter copias suas, valent etiam Romani sociorum auxiliis. Socii illi sunt fere civitates nominis Latini, quae eosdem hostes habere coguntur, quos populus Romanus habet. Ab hostibus separantur populi qui pacem vel foedus cum Romanis pepigerunt. His, si qua causa est, bellum sollenni more indicitur, prius legatis missis ex Fecialibus ad ***res repetundas***, datoque restituendi tempore (*c*). Indicitur autem ex jussu populi et consensu senatus, tam populo hosti quam hominibus ejus. Victis plerumque jura tam publica quam privata minuuntur, praesertim dediticiis qui in clementiam populi Romani venerunt (*d*).

Jus belli et pacis. Hugo. pag. 342.

231. Fecialis ad foedus faciendum certis verbis designatur, certoque ritu adversus violationes sanctus red-

(*a*) Polyb. VI. 15 et 19.
(*b*) Gell. XVI. 4. Polyb. VI. 21.
(*c*) Liv. I. 22. Id. 32. Gell. l. c. Cic. de off. I. 11.
(*d*) Id. VIII. 11.

ditur. Leges foederis ceratis tabulis conscriptas pater patratus recitat; deinde solenni iterum nuncupatione, mactataque hostia, res conficitur *(a)*.

QUAESTIONES.

1. Romanorum de mutuo gentium jure opiniones. Liv. I. 14. Cic. de Offic. III. 17. L. ult. D. de legationibus. Legatur Hefter. de antiq. jure gentium prolusio. Bonnae 1823.
2. Quo jure erant socii hoc tempore?
3. Qualia bella?

Jurisdictio. Hugo. pag. 343. 232. Jurisdictio a regibus ivit ad consules, aediles, reliquosque qui deinceps accesserunt magistratus; nulli vero hoc tempore propria est *(b)*.

233. Litigatio palam in foro agitur, media luce, inter praesentes; in eaque praecipua sunt: 1°. in jus vocatio; 2°. jurisdictio; 3°. judicium; 4°. rei judicatae exsecutio.

234. In jus vocatio privata est ac rudis. Si non it, obtorto collo in jus rapitur, facta antestatione *(c)*, nec aliis licet eximere *(d)*. De domo tamen sua nemo extrahi potest *(e)*; et propter morbum, aetatem, vitiumve jumentum dari debet *(f)*. Si vel vocari, vel duci non potest, magistratus imperio locus est *(g)*.

(a) Id. I. 24. L. 8. § 1. D. de rer. divis.

(b) Pomp. § 27. conf. Cic. de republ. V. 2.

(c) Horat. Serm. I. Sat. 9. extr. ibique Porphyrion. Festus *struere*. Val. Max. II. 1. 5. L. 233. D. de verb. signif. Clem. Alex. Strom. V. pag. 574.

(d) L. 2. D. si quis in jus voc. non iverit. L. 4. D. ne quis eum qui in jus voc.

(e) L. 21. D. de in jus voc. coll. L. 18 eod.

(f) Gell. XX. 1.

(g) Tit. D. si quis jus dic.

235. Cum in jus ventum est, nec res transactione finita (a), apud magistratum lege agitur, judex datur, et sollenni contestatione accipitur judicium (b). Judex ille (vel arbiter) privatus est civis, qui juratus (c) hoc officium suscipit: est enim judicare munus publicum quod nemo detrectare potest (d); recusari tamen potest (e), item jurare sibi non liquere (f). Deinde fit comperendinatio (g), et cum dies venit causae collectio, ante meridiem; post meridiem peroratio; postremo ante solem occasum lis addicitur (h).

236. Condemnatione facta, ex causa judicati post dies triginta manus injectioni locus est, quoque modo judicatus vinciri debeat, atque ali apud creditorem, lege definitum est. Durat in vinculis dies sexaginta, interim tamen pacisci licet, ac trinis nundinis ad magistratum palam producitur, quibus peractis vendi potest peregre, vel in partes secari (i). Exsecutio. Hugo.pag.341.

### Quaestiones.

1. Quid peculiare habet jurisdictio apud Romanos? quid litigandi ratio universa?
2. In jus vocato, quam vim habet transactio? Num ac-

(a) Auctor ad Herenn. II. 13. L. 22. D. de in jus voc.

(b) Gaj. IV. 15. Festus *contestari*, item *reus*.

(c) Cic. pro Quintio 20. Acad. II. 47. extr. Gell. XX. 1. L. 14. C. de judiciis. (III. 1.)

(d) L. 13. § 2. D. de vac. et excus. mun.

(e) Cicero pro Cluentio 43.

(f) Gell. XIV. 2.

(g) Gaj. l. c. et Ps. Ascon. I. s. l. Macrob. Sat. I. 16. p. 279.

(h) Gaj. l. c. et Gell. XVII. 2.

(i) Gell. XX. 1. Tertull. Apolog. cap. 4. (Ed. Havercamp. pag. 53.) Dion. Cass. excerpta in nova Scriptt. coll. ed. Majo. pag. 144. P. II. πλείστων γοῦν δεινῶν. κ. τ. λ.

tionem informat? Cf. L. 22. § 1. de in jus voc. Auctor ad Herennium l. I. Gaj. IV. 37, 45.

3. Vadimonia num hoc tempore in usu habentur? Festus *vades*. Gell. XVI. 10. coll. Gaj. IV. 15: *statim* (?) *dabatur judex*. Voorda. de vadimonio. Traj. 1741, in Jurisprud. Fellenberg. T. II. Novissime *Zenger. Ueber das Vadimonium der Römer. Landshut.* 1826.
4. Morbus sonticus, aliaeque non sistendi excusationes quo referendae sunt? L. 2. § 3. D. Si quis cautionibus. Festus *sonticus*. Gell. XX. 1: *ceteroqui morbum* e. r.
5. Judicem dare an perpetuum est, ita ut sententia nunquam a magistratu dicatur? Paul. V. 5. L. 14 et 15. D. de re jud. Cic. de leg. III. 3.
6. Judex et arbiter numquid differunt? Cic. de Legg. I. 21. Tit. D. finium regund. Gaj. IV. 42 et 163. Cic. pro Roscio Comoedo 4.
7. Causae collectio et conjectio an idem est? Gaj. IV. 15. Gell. XVII. 2.
8. *Ante meridiem, post meridiem, sol occasus* quid? Censor. de die natal. cap. 24.
9. Sententiae exsecutio apud Gell. XX. 1. an pecuniae creditae propria erat? Conf. Gaj. IV. 21. Conf. Savigny. Dissert. citata supra 195. nota *c*.
10. Quid est nervum? Festus in voce.
11. Ne minore aut si volet majori, ut vulgo editur, an servandum?
12. Cur interim producitur?
13. Quo jure potest judicatus vendi? Cur venit peregre? Cf. Gaj. III. 189.
14. Num corpus secatur, et cur viri docti id credere noluerunt, cum tamen crediderint Veteres? Conf. Grimm. *Zeitschr. für gesch. Rechtsw.* II. p. 86.

Crimina. Hugo. pag. 356. 237. Maleficia Romae coërcentur vel vindicantur pluribus modis: 1°. infamia, quam etiam lex irro-

gat (*a*); 2°. actione privata ex delicto; 3°. censura morum (*b*); 4°. lege (*c*); 5°. magistratus imperio; 6°. potestate cujusque patrisfam. (*d*); 7°. denique publicis judiciis.

238. Graviori enim facinore admisso magistratus reo, rumore populari aut per accusatorem delato, diem dicit ad populum, cujus suffragiis judicetur (*e*); aut quaestores parricidii creantur qui pro populo judicent (*f*). Interim ille vinculis detinetur, aut vades ei dare permittitur pecuniam ni sistat obligantes: quocirca jam potest reus solum vertendo evitare supplicium (*g*).

239. In milites, peregrinos, servos, magistratus animadvertunt pro imperio, ut ante dictum est; in sacerdotes ac virgines Vestales pontifices (*h*).

240. Poenae legum decemviralium, ut par est in barbara gente, magna severitate cernuntur. Perduelliones, homicidae (*i*), coetus nocturni auctores (*k*), fures et corruptores nocturni fructuum (*l*), verberati velato capite ex arbore infelici suspenduntur. Incendiarii igne cremantur (*m*). Falsi testes de saxo Tarpejo praecipi-

(*a*) Gell. VI. 7. XV. 13.

(*b*) Id. X. 23. Pomp. § 17.

(*c*) Liv. II. 8 et III. 55. Festus *sacer*, et *sacratae*.

(*d*) Liv. I. 26.

(*e*) Cic. Brut. 27. Liv. VI. 20.

(*f*) Cic. de Legg. III. 4: *Ollosque quos censores*. Id. pro Milone 3. Festus *parici quaestores*. Pomp. § 23. Joannes Laur. L. I. C. 26.

(*g*) Liv. III. 13. Festus *vadem*. Gell. XVI. 10. Conf. Polyb. VI. 14.

(*h*) Cic. de legg. II. 9. Liv. VIII. 15. XXII. 57.

(*i*) Liv. I. 26. L. 3. D. ad. L. Jul. maj. Festus *parici quaestores*.

(*k*) Porcius Latro declam. Catil. (ad calcem Sallustii Wassiani).

(*l*) Plin. Nat. Hist. XVIII. 3.

(*m*) L. 9. D. de incend. ruin. naufr.

tantur (*a*). Parricida corio insutus in amnem projicitur (*b*). Capitales sunt praeterea incantator frugum et hominum (*c*), auctor famosi libelli (*d*), judex qui ob rem dicendam pecuniam accepit (*e*), et patronus qui fraudem fecit clienti (*f*). Testis aut libripens, qui testimonium dicere recusat, lege improbus et intestabilis esse jubetur (*g*).

**241.** Multarum sive poenae pecuniariae modus arbitrio rogantis tribuni permissus est.

**242.** Magistratus ultra certum numerum boum et ovium multam dicere vetatur, quae multa postea e pecuaria pecuniaria facta est (*h*).

## Quaestiones.

1. Leges sacratae unde explicandae videntur? Vid. Rosshirt. in *Neues Archiv des Criminalrechts. XI.* 1. *Halle* 1829. pag. 7. Conf. Blackstone IV. 23. *The remaining*, etc. Stiernhöök. o. c. pag. 369.
2. Judicia publica, sive populi, quam causam habent?
3. Quam incommoditatem?
4. Severitas legum decemviralium, et atrocitas suppliciorum unde explicandae sunt?
5. Unde propria quorundam suppliciorum figura, veluti culei?

(*a*) Gell. XX. 1.

(*b*) Auct. ad Herenn. I. 13. Festus *plorare*: conf. tamen Plut. Rom. 22. extr.

(*c*) Plin. Nat. Hist. XXVIII. 4. XXX. 3. August. Civit. Dei VIII. 19.

(*d*) Aug. II. 9. conf. Horat. II. Ep. II. vs. 154.

(*e*) Gell. XX. 1.

(*f*) Serv. ad Aen. VI. vs. 609.

(*g*) Gell. XV. 13.

(*h*) Festus *peculatus*. Cic. de republ. II. 35. Gell. XI. 1. Dionys. X. 50. Plutarch. Poplic. 11. Plin. Nat. Hist. XVIII. 3.

6. Quae est vera vis infamiae Romanae?
   Legantur Hagemeister. (*Civil. Magaz.* III. pag. 180). *Marezoll. Ueber die bürgerl. Ehre. Giessen.* 1824.
7. Cur reo abire permittitur?
8. De poena boum et ovium, et de legibus ad eam spectantibus testimonia qua ratione possunt conciliari?

243. Reditus publicos cogunt et expensas faciunt, moderante senatu, quaestores (*a*). Reditus nunc nulli sunt perpetui, sed omnes repentini. Constant autem tributis, praeda, et fructu eorum quae in patrimonio populi sunt. Aerarium. Reditus. Expensae. Hugo. pag 360.

244. Tributum, nata aliqua necessitate, a consule, ex senatus decreto, imperatur civibus, pro censu cujusque conferendum (*b*). Non tamen praediorum est sed personarum (*c*). Praeter hoc tributum vectigal quoque de mercibus importandis percipitur, sive portorium (*d*).

245. Praeda potissimum hominibus constat et agro. Sed ager ab hostibus captus saepe a patriciis viris pro suo possidetur, non lege vectigali; ac portio ejus adsignatur collegio pontificum (*e*). Quandoque etiam devictis hostibus imperatur pecunia (*f*).

246. In patrimonio publico sunt salinae, quas Ancus Marcius prope Ostiam instituit (*g*), et bona civium publicata (*h*).

247. In publico sumtu sunt stipendium aliaeque im-

(*a*) Polyb. VI. 13.
(*b*) Id. 14. Varro de L. L. IV. extr. Liv. IV. 60. extr.
(*c*) Liv. I. 43. extr. Conf. tamen Dionys. IV. pag. 243.
(*d*) Id. II. 9.
(*e*) Dionys. II. 7. p. 82. Appian. de bello Mithrid. cap. 22.
(*f*) Dionys. IV. pag. 252.
(*g*) Liv. II. 9. ibique J. F. Gronovius.
(*h*) Liv. III. 58. extr.

pensae rei militaris, tum opera publica (*a*), religiones, et ludi sive spectacula.

Res aedilitia. Hugo. pag. 361. 248. Disciplina civitatis, qua tuta, salubris, et amoena redditur, item cura publica agrorum (*la police urbaine et rurale*), etiam magna ex parte juri privato relicta est. Legibus duodecim tabularum cavetur de aqua pluvia (*b*), de ambitu parietum (*c*), de tigno juncto aedibus vel vineis (*d*), de sepultura, de sumtibus funerum et de luctu (*e*); deinde de via munienda (*f*), de sublucandis arboribus (*g*), de arboribus succisis (*h*), de glande legenda (*i*), de pastu pecoris (*k*). Statuunt quoque de collegiis et corporibus, qualia sunt mercatorum, opificum, argentariorum, aliaque, quibus suam legem habere permittitur, possessiones et arcam communem (*l*); habent quoque sacra sua (*m*), ludos et pompas, atque ferias (*n*). Aedium curam tutelamque viarum gerunt aediles (*o*), (eaque per locationem fieri solent), nec ta-

(*a*) Id. I. 56.

(*b*) L. 21. D. de statu lib. Cic. Top. 10.

(*c*) Festus *ambitus*. Varro de L. L. pag. 8.

(*d*) Tit. D. de tigno juncto.

(*e*) Cic. de legg. II. 23. 25.

(*f*) Id. pro Caec. 19.

(*g*) Festus *sublucare*. Paul. V. VI, 13. L. 1. § 8. D. de arb. caed. Scripserunt de hac re Dirksen. et Grimm. (*Zeitschrift* II. 16. III. 11).

(*h*) Gaj. IV. 11.

(*i*) Tit. D. de glande leg. Plin. Nat. Hist. XVI. 5. Legatur Thibaut. *Abhandl.* I.

(*k*) L. 14. f. D. praescr. verb. Vid. quoque L. ult. D. fin. reg.

(*l*) Liv. II. 27. Plin. Nat. Hist. XXXIV. 1. Tit. D. Quod cujusq. univ. nom. L. ult. de coll. et corporib.

(*m*) Festus *majis Idibus*. Joann. Laur. de mensib. 244.

(*n*) Cic. de off. III. 14.

(*o*) Festus *aediles*. Pomp. § 21.

men non ceteri magistratus. Cum annona angusta est, senatu jubente consules frumentum publice emunt, modico pretio plebi divendendum (*a*). Iidem templa dedicare solent, ac ludos facere, non scenicos, sed circenses (*b*).

(*a*) Liv. II. 9. 34.
(*b*) Id. I. 9. VII. 2.

Digitized by Google

# AETAS II.

## A PRAETURA URBANA AD AUGUSTUM PRINCIPEM.

AB ANNO U. C. 387—724.

A. C. 367—30.

## CAPUT I.

### DE FONTIBUS JURIS.

Causae. Plebis incrementa. Hugo. pag. 367.

249. Tria potissimum rerum momenta hoc tempore vim habuerunt ad leges et jura informanda. I. Plebis adversus patres se erigentis auctoritas. II. Victoriae Romanorum cum in Italia tum extra Italiam reportatae. III. Misera populi conditio quae toto hoc tempore fuit.

250. I. Primum illud non nisi pedetentim, patribus strenue reluctantibus, effectum est. Lex Canuleja connubium cum plebe permittere, non cogere poterat; Horatia autem de plebiscitis iterata demum renovatione legibus Publilia (anno 414), et Hortensia (anno 467) (*a*) valuit, nec merum commentum est pariter auctam esse vim senatusconsultorum (*b*). Anno quidem 387. consulatus, de quo plus centum annis acerrime contenderant, plebs potita est; sed et tum compensationem quaesiverunt patres in praetura urbana et in aedilitate curuli, quas per triginta annos soli obtinuerunt. Interim ta-

(*a*) Liv. VIII. 12. Gell. XV. 27. Plin. Nat. Hist. XVI. 15.

(*b*) Theoph. ad § 5 et 6. extr. I. de jure nat. junct. Dionys. Halic. VII. 18.

men, aut quinquagesimo anno post (lege Maenia an Publilia?) (*a*), fracta est eorum in legibus ferendis auctoritas; reliqui deinde honores, etiam pontificatus, plebi cesserunt; et cum patriciae gentes Naturae lege (*b*) sensim emorirentur, cumque plebeji homines rebus gestis continuo illustrarentur, postremo haec ordinis differentia, quae olim in populo Romano tanta fuerat, ad inane nomen redacta est.

251. II. Dum haec domi geruntur inter patres et plebem, foris populus Romanus non minori studio sibi principatum vindicat. Fractus quidem fuerat Porsena obsidente, et Gallorum incursione, sed nunc incredibili sua virtute adeo erigitur, ut altero jam saeculo post urbis incendium universam sibi Italiam armis subjiciat. Ex bellis innumerabilibus, quae vario marte sed postremo eventu felici gesta sunt, ante omnia notandum est bellum Latinum. Eo propter juris inaequalitatem suscepto, anno autem 416. Romanis victoribus confecto, de jure cujusque civitatis varie statutum est (*c*). Idemque reliquis Italiae civitatibus, quotquot deinde ad annum usque 486. rebellarunt, contigit. Successit saeculo septimo, Romanis jam per Italiam dominantibus, ex eadem causa, bellum sociale, gravius quidem, nec perinde Romanorum arbitratu terminatum. Rebellantes enim populi lege Julia et Plautia (anno 666) civitatem, certe si fundi fierent, adepti sunt. Mansit tamen vel sic magna per Italiam juris varietas.

Victoriae in Italia.

(*a*) Liv. l. c. Cicero in Bruto. 14.
(*b*) Tacit. Ann. XI. 25. Aurel. Victor de Caes. 9.
(*c*) Liv. VIII. 14. Conf. id. IX. 43.

### Quaestiones.

1. Quam vim habuit ad salubrem juris Romani conditionem efficiendam praetura urbana?
2. Habuitne aliquam forma regiminis democratica quae hoc tempore invaluit?
3. Cur patriciatus apud Romanos citius exstinguebatur quam hodie nobilitas?
4. Quae est origo juris Latinorum?
   Conf. Cicero pro Caecina. 7, 33, 35. Gaj. I. 79. j. 131. Id. III. 56. Ulp. V. 4. XIX. 4. XX. 14. XI. 16. Vellej. Paterc. I. 14. Legatur Savigny. *Zeitschr.* V. pag. 229.
5. Quid est *fundum* fieri? Plaut. Trinum. V. 1. 6. Festus. *fundus.* Tabul. Heracl. postr. Gell. XIX. 8.
6. Quid est jus Italicum? Asconius arg. Orat. in Pisonem. Tit. D. de censib. Savigny. *Zeitschr.* pag. 242. Hagenbuch. Inscr. 3041.

Provinciae. 252. Victoriae externae imperio populi Romani provincias addiderunt, quibus perpetuo retentis, effectum est ut lingua, litterae, mores, leges et jura Romanorum, per magnas Europae regiones, ac partim per Asiam et Africam propagarentur. Istaque amplitudo ditionis plurimum quoque ad juris Romani praestantiam profuit.

Humanitas. Luxus. Hugo. pag. 364. 253. Nec poterant non illae victoriae vim habere in mores hominum, ac propterea Romae quoque in juris instituta et leges. Uti Graecorum humanitate exculti sunt Romani, ita Asiae vitiis corrupti (*a*). Artium studium luxus, divitias avaritia consecuta est. Mutata est nunc mulierum conditio, invaluerunt dotes, divortia, judicia de moribus; latae sunt leges sumtuariae, Oppia, Cincia, Plaetoria, Voconia; instituta sunt multa fa-

(*a*) Liv. 39. 6. Horat. Ep. II. 1. vs. 156. Cic. de Off. II. 21.

mosa judicia, nova interdicta, de dolo formulae; nata sunt multis legibus nova crimina: quae omnia depravationis indicia postea singulatim designabuntur.

254. Quod autem praecipuum est: tam propter Italiam, quam propter provincias Romano imperio adjectas, novi magistratus instituti sunt, quorum jurisdictioni pars juris non exigua debetur. Novi magistratus. Hugo. pag. 368.

255. Primum enim Italia subacta institutus est praetor peregrinus, qui in urbe jus diceret inter peregrinos, aut inter cives et peregrinos (*a*). Hic non unice ex Romanis institutis jus dicere poterat, sed aliarum quoque civitatium mores debebat attendere (*b*): unde commune quoddam jus gentium, et vero juris Romani dilatatio exsistere potuit.

256. Deinde Roma continuo missi sunt qui cuique provinciae praeessent, initio magistratus ordinarii, tum his non sufficientibus proconsules et propraetores. Hoc quidem institutum ad mores corrumpendos, et ad commovendam rempublicam plurimum valuit; sed etiam ad jura Romana cum amplianda tum propaganda fuit efficacissimum. Habemus etiam nunc ad edictum provinciale Peritorum commentationes quantivis pretii.

### Quaestiones.

1. Quo nomine memorabiles sunt provinciae in juris Romani historia?
2. Leges sumtuariae cur non durarunt? Cf. Macrob. Sat. II. 13. Plin. Nat. Hist. X. 71. Tacit. Ann. III. 53.

(*a*) Liv. Epit. 19. Pomp. § 28. Joann. Laurent. de magistr. pag. 77. Tacit. Ann. I. 13. Liv. 39. 45. Lex Rubria, apud Hugon. pag. 443.

(*b*) Conf. Gaj. I. 193. II. 40. III. 120 et 134. Ulp. XX. 14. Fragm. de juris spec. § 14.

3. Praetor peregrinus quando est institutus?
4. An per Italiam jus dicebat?
5. Quid nocuerunt Romanis provinciae?
6. Quo modo invaluerunt jura Romana in provinciis?
7. An Romani peregrina jura adsciverunt?
8. An leges Romanae in provinciis quoque valebant? Vid. Gaj. II. 32 et 63. it. III. 122.

Miseriae domi. 257. III. Interim privatorum hominum conditio non erat laetissima. Patrum rebus inclinantibus, nova sensim dominatio oborta est nobilium, id est, eorum quorum majores honores gesserant; neque aliter quam ante commoda ad paucos, onera et pericula ad multitudinem redibant (*a*). Debitores non minus quam ante ducebantur, etiam post legem Petiliam Papiriam (*b*) (anno 427), nec foenebres leges quidquam levaminis adtulerunt (*c*). Anno 467 facta est tertia secessio in Janiculum (*d*). Nec magis profuerunt quae deinde tentata sunt, leges agrariae, novae tabulae, frumenti dispensationes, coloniarum deductiones, finis tributorum, aliaque popularia: tumultus in dies graviores, bellaque civilia atrocissima secuta sunt, donec postremo tota respublica everteretur. Quam vim illa bella in jus civile habuerint, quasque leges novas in juris historia memorabiles pepererint, postea suo quaeque loco, interponetur.

### Quaestiones.

1. Qualis erat nobilitas Romana? Quid differt a recentiori?

(*a*) Sallust. Jugurtha. 41. Appian. de bell. civil. I. 7.
(*b*) Liv. VIII. 28. coll. Epit. XI.
(*c*) Appian. ibid. I. 54.
(*d*) Liv. Ep. cit. Plin. Nat. Hist. XVI. 15.

2. Cur tam miseri erant Romani in summo reipublicae splendore?
3. Quid statuit lex Petilia Papiria? Leg. Schrader. *Civil. Magaz.* V. pag. 184. Conf. Savigny. *altröm. Schuldr.*
4. Leges agrariae quales erant?
5. Quid novae tabulae?

258. Vulgata est juris distinctio, qua tamen Veteres minus quam Recentiores utebantur, scripti et non scripti (*a*), apud Ciceronem (*b*) legitimi et usitati: quorum hoc moribus populi sensim recipitur, illud subito imperantis voluntate jubetur. Ad jus non scriptum nunc refertur: 1°. jus civile, quod Prudentes composuere (*c*); 2°. jus praetorium, sive honorarium, quod jurisdictione magistratuum inductum est (*d*). Ad jus scriptum: 1°. leges; 2°. senatusconsulta. Fontes. Leges. Hugo. pag. 371. seq.

259. Quae legum nomine hoc tempore veniunt, pleraque sunt plebiscita, quae a tribunis fere res novas molientibus proficiscuntur; unde et leges de jure privato scriptae prope omnes causam publicam habere videntur: quae tamen sunt paucae in magno cumulo (*e*).

### Quaestio.

Quae erat legum forma apud Romanos, sive quae conceptiones verborum?

260. Senatusconsulta etiam hoc tempore legis vicem Senatusconsulta. Hugo. pag. 406.

(*a*) L. 6. § 1. D. de just. et jure. L. 32 seq. D. de legibus. Cic. ad Att. VI. 1.

(*b*) De Orat. I. 42.

(*c*) Pomp. § 5 et 12.

(*d*) Cic. de Invent. II. 22.

(*e*) Liv. III. 34. Tacit. Annal. III. 26, 27. Singularum legum historiam, quae sane exigua est, brevitatis causa, juris locis ad quos quaeque spectant, adjungere maluimus.

obtinere videntur, qua de re apud Recentiores magna est dubitatio: 1°. enim apud Veteres mature inter juris fontes (*a*), quandoque juxta leges collocantur (*b*); 2°. potestatem usurpat senatus legibus quemque solvendi (*c*); 3°. neque exempla desunt senatusconsultorum nunc de jure privato factorum (*d*); 4°. senatus origo et historia universa idem arguunt (*e*).

261. Jus civile latius patuit apud Romanos quam apud nos, multaque nova Prudentium auctoritate introducta sunt, cujus rei testimonia et causae in Jurisprudentiae historia commodius referentur.

Jus honorarium. Hugo. pag. 414. seq.

262. Jus honorarium edictis continetur praetorum et aedilium, item proconsulum et propraetorum in provinciis, in quibus aedilium loco sunt quaestores (*f*). Reliqui magistratus non perinde edicunt (*g*) de jure dicendo (*h*). A potiori jus praetorium appellatur.

363. Ortum tamen est multo maturius quam edici consuevit; non enim placere poterat mos edicendi dum pauper erat jus, dumque scientia ejus in mysteriis retinebatur: interim vero saepe locus esse debuit rebus novis utilitatis causa per jurisdictionem usurpandis (*i*).

264. Edicere solent praetores quotannis suo quisque

(*a*) Cic. Topic. 5. Horat. Ep. I. 16 vs. 41. Pomp. § 9 et 10.

(*b*) Tab. Heracl. passim.

(*c*) Ascon. arg. Orat. Cic. pro Cornelio maj. reo: verbo *promulgavitque*. Cic. ad Att. V. Ep. ult. f. Plutarch. Anton. 31.

(*d*) Liv. 39, 3, 19. 41, 9. Cic. ad Att. V. 21. VI. 1, 2.

(*e*) Cic. de leg. III. 3.

(*f*) Gaj. I. 6. Pomp. § 10.

(*g*) Nepos. Cat. 2. Cic. Verr. Lib. II. Cap. 41. Tacit. Hist. II. 91. Gell. III. 18.

(*h*) Gaj. l. c. Conf. Liv. VI. extr.

(*i*) Vid. tamen Cic. de Inv. l. l.: »propter *vetustatem*, quo in genere" e. q. s.

magistratu ineunte, et proponitur edictum palam in foro *ubi de plano recte legi potest.* Argumentum ejus est jurisdictio, quo tamen nomine non solum modus litigandi significatur, sed, praeter actiones omnes, etiam jura qualiacumque quae in controversiam venire possunt. Edicunt etiam multa nova, secundum mores quidem et necessitates populi, sed quae nondum ad vim juris invaluerunt: adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia, propter utilitatem publicam.

265. Edictum quod ita quotannis proponunt, jurisdictionis perpetuae causa, edictum *perpetuum* appellatur, id est, generale *(a)*: est enim etiam speciale vel repentinum edictum, quod faciunt prout res incidit *(b)*.

266. Perpetuum suum edictum magistratus sine invidia postponere non potest *(c)*, nec sine intercessione vel collegarum, vel tribunorum *(d)*; quin etiam prohibetur lege Cornelia *(e)*.

267. Anno tamen praeterlapso per se vim nullam habet, cessante imperio praetoris *(f)*; sed plerumque quod quisque praetorum edixit, id successores cum servare tum denuo edicere solent, quo facto edictum tralatitium nominatur. Si non edicunt, sed tamen servant, in consuetudinem abit, et custodiri solet pro jure quod

---

*(a)* L. 57. § 1. D. de adq. hered. coll. L. 1. C. Si in comm. eademq. causa. (II. 26.) Pr. I. de satisd. tut. Gaj. I. 200. Gell. XIII. 15. Cic. de Orat. II. 33. Ascon. l. c. L. 9. C. de pign. act. (IV. 24.)

*(b)* L. 7. C. de jurisd. L. 73. D. de judic. Verr. Lib. III. Cap. 14. Plin. Ep. V. 21.

*(c)* Cic. ad Att. VI. 1. ad fam. XIII. 59.

*(d)* Id. Verr. Lib. I. Cap. 46.

*(e)* Ascon. l. c. Dion. Cass. 36. 23.

*(f)* Verr. Lib. I. Cap. 42.

sine lege vetustas comprobavit (*a*). Igitur jus praetorium recte ad jus non scriptum refertur, etsi primo quoque anno edictum jus scriptum haberi potest.

## Quaestiones.

1. An senatus Romanus libera rep. jus facere potuerit legis instar? cur ipsi Veteres dubitarunt? Conf. Gaj. I. 4. L. 9. D. de legg. Dionys. Halic. IX. pag. 595.
2. Cur senatusconsulta de jure civili tam rara sunt hoc tempore?
3. Quae est vera natura juris civilis? quid commodi habet et incommodi prae scriptis legibus?

   Conf. Blackstone. T. I. Prooem. § 3. *Burke. Reflections on the Revolution in France:* pag. 44. *Thémis. VII. Livr.* 8. pag. 431. In primis Hugo *Civil. Magaz.* IV. 1. 4. et *Savigny. Vom Beruf unsrer Zeit.* § 2. Plenissime hunc locum tractavit nuper *Puchta. Das Gewohnheitsrecht. Erlangen* 1828. Vol. I.
4. Juris constituendi potestas, qua magistratus populi Romani utebantur, justane erat an iujusta? Conf. Polyb. VI. 11. Cio. de offic. I. 10. de legg. III. 3. item I. 5. in Verrem Lib. I. Cap. 43. pro Mur. 20. Gell. XIII. 15.

   Leg. Heinecc. Hist. jur. Rom. I. §§ 69 et 70 cum nott. Ritteri. Richeus. Vindiciae praetoris Romani. Lugd. Batav. 1748. Joannes Reddie. de edictis praetorum. Gött. 1825.
5. Eratne utilis?

   Leg. *Schrader. Die Prätorischen Edicte der Römer auf unsere Verhältnisse übertragen. Weimar.* 1815. Holtius. Oratio de jure praetorio cum apud Romanos tum apud Anglos ad jus civile

(*a*) De Invent. II. 22.

supplendum et emendandum aptissimo. Groningae. 1822. (in Annal. Groning.)

6. An similia instituta occurrunt apud Recentiores? Oratio cit. passim. Plenius *Cooper. Lettres sur la cour de la chancellerie. Londres.* 1828: epist. 25. Paris. 1830. cum addit. auct. Royer-Collard.
7. Ut magistratus jura reddentes generalia constituant, cur hodie apud quosdam tam vitiosum habetur? Conf. *Code civil* art. 5. ibique Locré. *Montesquieu. Esprit des lois.* Liv. XI. Ch. 6.

## CAPUT II.

### DE JURISPRUDENTIA.

268. Uti honores et imperium, ita juris peritia hoc tempore desiit esse propria possessio patriciorum: quod ab Antiquis non tam ex communibus causis supra relatis, quam ex propriis quibusdam nunc referendis, repetitur.

Flavius. Coruncanius. Hugo. pag. 449 et 460.

269. Medio saeculo quinto Cnaeum quendam Flavium fuisse narrant, qui legum actiones, vel (sive et) fastos, quae adhuc in mysteriis habebantur, cum vehementi indignatione patrum, gratia vero plebis, evulgaret, quo facto evulgata sit etiam juris peritia *(a)*.

270. Circiter quinquagesimo anno post Tiberius Coruncanius primus de plebe pontifex maximus creatus est, idemque primus publice professus esse dicitur, quod ante eum nemo fecerat *(b)*. Ab eo tempore deperire debuit clientelae necessitudo.

QUAESTIONES.

1. Flavianum facinus an totum commentitium esse videtur?
2. Quo modo potest Tiberius Coruncanius intelligi professus esse, quod nec post eum quisquam hac aetate fecit? Vid. Schrader. *Civil. Magaz.* V. pag. 187.

Juris civilis institutio. Hugo. ibid.

271. Discendi studiosis nec publice nec privatim con-

(a) Cic. de Orat. I. 41. pro Mur. 11. ad Att. VI. 1. Liv. IX. Cap. ult. Plin. Nat. Hist. 33. 6. Val. Maxim. II. 5. 2. IX. 3. 3. Pomp. § 7.

(b) Pomp. §. 35.

sulitur (*a*), sed possunt sibi ipsi consulere, ad Peritorum aliquem se applicando quem audiant respondentem (*b*), item jurisdictione et judiciis frequentandis. Praeterea pueri domi ediscunt duodecim tabulas, quibus accedit procedente tempore, atque succedit, praetoris edictum (*c*). Postremo etiam libri de jure scribi coeperunt.

272. Graecarum literarum, ac transmarinae philosophiae (*d*) vis ad jurisprudentiam nondum pertinet. Universe tamen, cum humaniores facti sint Quirites, atque doctiores, jus civile quoque liberaliori atque uberiori ratione tractent, necesse est. Jam definire atque digerere didicerunt (*e*), item de dignitate hominis (*f*), et de bono et aequo disputant (*g*). Habent praeterea jus gentium suum (*h*); atque naturam humanam tam moralem quam corpoream (*i*) subinde, non minus quam rerum naturam (*k*), in juris regulis constituendis attendunt. Jus publicum adhuc a jurisconsulti provincia separatur: est enim jureconsultus hoc tempore, qui legum et consuetudinis ejus, qua privati in civitate utuntur, ad respondendum et ad scribendum, et ad cavendum peritus est (*l*). Sunt tamen qui utramque

Ratio. Hugo. pag 463.

(*a*) Cic. Orat. 42. Brut. 89.
(*b*) Id. de amicit. 1.
(*c*) Id. de legg. II. 23.
(*d*) Id. de Orat. I. 44. Gell. XV. 11.
(*e*) Id. I. 42. Topic. passim.
(*f*) L. 68. D. de usufr. conf. L. 44. D. de aedil. edicto.
(*g*) Cic. Brut. 53.
(*h*) Id. de Off. III. 17.
(*i*) L. 14. § 2. D. de ritu nupt. Cic. de Off. III. 18. de Invent. II. 22.
(*k*) Gaj. II. 73 juncta L. 26. § 1. D. de adquir. rer. dom.
(*l*) Cic. de Orat. I. 48. Pro Mur. 9.

peritiam conjungant (*a*). Ex diverso pontificium jus jam negligitur (*b*).

Exercitatio. Hugo. pag. 459 et 462.

273. Ea peritia comparata, potest quisquis studiorum suorum fiduciam habet se jureconsultum profiteri; maxime tamen id facere solent qui propter aetatem nec militare ultra, nec causas orare possunt (*c*). Hi vel domi in solio sedentes, vel transverso ambulantes foro, sui copiam, saepe a primo mane, faciunt consultoribus (*d*), parati ad respondendum gratis de quolibet privato negotio. Unde domus Jureconsulti apud Ciceronem dicitur totius oraculum civitatis (*e*). Praeterea a magistratibus jus dicentibus, et a privatis judicantibus assidue consuluntur (*f*).

274. Nec tantum ita respondentes Juris interpretes se praestant, sed etiam, ut indigitatum est supra, conditores, ut responsa eorum inter juris fontes numeranda sint (*g*). Nova enim exstant non pauca Prudentium auctoritate introducta, quae postea suo quaeque loco apparebunt.

275. Scribunt praeterea civium testamenta (*h*), aut si qua alia scriptura opus est, et cavent, id est, cautionum formulas concipiunt, quarum nonnullae ab

(*a*) Pomp. §§ 44 et 46.

(*b*) Cic. de Orat. III. 33. de legg. II. 21.

(*c*) Cic. de amicit. l. c. de Orat. I. 45. de legg. I. 3.

(*d*) Id. pro Mur. l. c. de Orat. III. 33. Horat. Serm. I. I. 9. Ep. II. 1. vs. 103.

(*e*) De Orat. I. 45.

(*f*) Topic. 17.

(*g*) Gaj. I. 2 et 7. Cic. Top. 5. pro Caecina. 25. Pomp. § 13.

(*h*) Cic. de Orat. II. 6. Verr. I. 42. Conf. L. 39. D. de vulg. et pup. subst.

auctoribus suis nominantur (*a*). Ceterum causas orare aliud est officium (*b*).

276. Magna tamen est cum dignitas Jurisconsultorum, tum auctoritas, ut, praeter rem ipsam, veterum testimonia significant (*c*). Sapientes viri, σοφοὶ, Prudentes, Periti vulgo appellantur (*d*), quibus perinde atque legibus obtemperandum sit (*e*). Auctoritas peritorum. Hugo. pag. 439 et 470.

### Quaestiones.

1. Num laete crescere potest jurisprudentia, ubi nullae juris scholae habentur?
2. Jurisconsulti Romani an vere gratis respondebant? Cic. Brut. 30. Conf. Tacit. Orat. 36.
3. Quid differunt ab hodiernis Jureconsultis?
4. Quid est apud Romanos advocatio?
5. Quibus ex causis exstitit dignitas et auctoritas Jureconsultorum Romanorum?

Legantur: Den Tex. Oratio de honore quo habiti sunt apud Graecos philosophi, apud Romanos Jureconsulti. Amstelod. 1821 (in Annal. Acad. Lugd. Batav.). Frets et Holtius: *Prijsverhandelingen bekroond en uitgegeven door de Derde Klasse van het Koninglijk Nederlandsche Instituut. Amsterdam.* 1822.

277. E Jureconsultis qui hoc tempore inclaruerunt nobis memorabiliores sunt, quorum scripta, aut saltem Scripta JCtorum. Hugo. ibid.

(*a*) Gaj. IV. 166. L. 7. D. de cond. et dem. L. 4. D. de transactt. L. 18. § 1. D. de acceptil.

(*b*) De Orat. l. l. Orator ad M. Brut. 41. Pomp. § 46.

(*c*) De Off. II. 19. de Orat. l. l. c. c. Horat. ad Pison. vs. 369. Persius. Sat. V. vs. 90. In primis Gaj. I. 7.

(*d*) Cic. de Orat. I. 45. Pomp. §§ 37 et 38. Tit. I. de codic.

(*e*) Id. pro Caec. 26.

sententiae, aetatem tulerunt. In illo genere Q. Mucius, et Alfenus Varus nominandi sunt; in hoc, praeter Gallum Aquilium, Servius Sulpitius, et qui a Servio profecerunt Ofilius atque Trebatius; etsi apud Ciceronem et Pomponium alii quidam clariores laudantur, a quibus nihil exstat (*a*). Hereditaria fuit jurisprudentia apud Catones et Scaevolas.

279. Libri eorum primum nonnisi breves duodecim tabularum interpretationes atque legis actiones continebant (*b*), tum formulas et responsa (*c*). Deinde fuerunt qui se ad certas juris partes, ad alias leges, et ad edictum praetoris applicarent, et qui aliorum libros digererent (*d*). Postremo quidam jus civile in artem redigere aggressi sunt (*e*). De juris publici quoque partibus hoc tempore scribi coepit (*f*).

### Quaestiones.

1. Quas legis actiones continebat jus Aelianum? Cf. Pomp. §§ 7 et 38.
2. Maniliae venalium vendundorum leges quid? Vid. Cic. de Orat. I. 58. Varro de re rust. II. 5. Cf. quoque Cic. ibid. 57.
3. Quid de jure civili meditabantur Pompejus et Julius Caesar? Cf. Isidor. V. 1. Suet. Jul. 44.

---

(*a*) Vid. Pomp. § 44. seq. Plenum catalogum, praeter Bertrandum et Guilielmum Grotium, qui de vitis JCtorum scripserunt, dabit Bachius: Hist. Jurispr. passim.

(*b*) Pomp. § 38.

(*c*) Cic. de Orat. II. 33.

(*d*) Pomp. § 44. Gell. IV. 4.

(*e*) Cic. de Orat. eod. et I. 42. Gell. I. 22.

(*f*) Festus. *praetor. patricios.* Gell. XVI. 4.

# CAPUT III.

## DE JURE PRIVATO.

279. Inopia historiae nostrae jam non est tanta quanta erat superiori aetate: nam praeter leges subinde de jure civili scriptas, in Digestis sententias habemus, et vero fragmenta, jureconsultorum, qui exeunte hac aetate vel paulo post inclaruerunt. Praeterea Ciceronem habemus, et novimus universe ex multis indiciis jus utrumque, tam civile quam honorarium, ad probabilem nunc amplitudinem sensim excrevisse.

280. Quae superiori tempore instituta sunt non repetemus, sed mutationes tantum quae in his acciderunt notabimus.

281. In qua re Ciceronis scriptis praecipue juvabimur.

### SECTIO I. DE PERSONIS.

382. Debitores qui propter aes alienum ducuntur, peregre non venduntur, ut olim; imo lege eis permittitur liberum corpus habere (*a*). Neque ultra fit servus quisquam propter furtum manifestum, quod huic rei finem fecit edictum praetoris; nec magis incensi veneunt (*b*). Sed fiunt nunc servi jure civili, qui pretii participandi causa se venundari patiuntur (*c*). Libertatis incrementa. Hugo. pag.479.

283. Statu liberi jam plures per interpretationem

(*a*) Sallust. Catil. 33. Conf. tamen Liv. XXIII. 14.

(*b*) Gell. V. 19. extr. Suet. Aug. 37. Arg. Cic. Verr. Lib. I. Cap. 41. Conf. tamen Idem pro Caec. 34. et Ulp. XI. 11.

(*c*) L. 23. D. de liberali causa. Plaut. Persa III. 1.

habentur, et servi publici. Apud Plautum (*a*) servi peregrinorum commemorantur, qui matrimonium contrahere possunt.

284. Manumissiones tributo vicesimae premuntur, lege Manlia anno 397 lata (*b*); sed contra praetor eos tuetur qui domini voluntate in libertate morantur (*c*).

Cives. Latini. Provinciales. Hugo. pag. 481.

285. Civium numerus maximopere auctus est, cum lege Julia et Plautia, tum ante ex immodicis manumissionibus quas bella civilia pepererunt (*d*). Itaque non per Italiam tantum, sed etiam per remotas provincias diffunduntur (*e*). Inter eos autem qui proxime ad civitatem Romanam accedunt memorabiles sunt Latini coloniarii, commercium quidem habentes, non vero connubium (*f*).

286. In provinciis hominum jura non raro lege aliqua perpetua reguntur a Romanis profecta, veluti in Gallia Cisalpina lege Rubria, in Sicilia lege Rupilia (*g*).

287. In Italia vero municipia non pauca suis legibus suaque consuetudine utuntur, etsi in his quoque una atque perpetua lex municipii nominatur (*h*).

(*a*) Plaut. Casina. Prolog. vs. 70.

(*b*) Liv. VII. 16, et 27. 10.

(*c*) Cic. pro Milone 33. et Peyron. pag. 225 et 233. Fragm. de juris speciebus. Tacit. XIII. 27. Gaj. III. 56.

(*d*) Cic. ib. Appian. de bell. civil. I. Cap. 100.

(*e*) Cic. pro lege Manil. 3 et 5. Hirt. de bello Alex. 41.

(*f*) Vide supra loca citata ad quaest. 4. n°. 250. Cf. quoque legis Serviliae cap. 23. ed. Klenze. Berolin. 1825. In primis vero Savigny. *Zeitschr.* IX. 3. pag. 303. seq.

(*g*) Cic. Verr. Lib. II. Cap. 13.

(*h*) Ib. I. 45. L. 34. D. de legg. Cic. ad fam. VI. Ep. 18. Sicul. Flacc. de cond. agr. ed. Goes. p. 24. Cenot. Pisana ed. Noris. Spangenb. Monum. leg. p. 179. L. 3. § 5. D. de sep. viol. L. 1. pr. D. de albo scrib. Savigny. I. l. p. 362. seq.

### Quaestio.

**Laudandane est Romanorum prudentia, qui non continuo devictis nationibus aut civitatibus suas leges suaque jura obtrudere solerent?**

288. Potestas dominorum in servos suos est eadem, sed mutato vitae genere dominorum mutata est servorum conditio (*a*). Praeterea jure praetorio quodammodo liberi esse, et patrimonium habere possunt, magis quam jure civili (peculium, saepe cum libera administratione). Potestas relaxatur. Hugo. pag. 485.

### Quaestiones.

1. **Quae mala peperit servitus apud Romanos publice ac privatim?**
2. **In peculio servorum tuendo num praetor morem aliquem imitabatur?**

289. Patria potestas utroque jure temperata est: jure civili per emancipationes, jure praetorio cum in hereditatibus posthabetur. Moribus quoque et invidiae metu continetur. Occurrunt nunc potissimum quaedam quasi domestica judicia (*b*). Adoptiones saepe non ex justa causa fiunt. In arrogatione jusjurandum exigitur (*c*).

### Quaestio.

**Quam vim habet adoptio quae fit in testamento? Conf. Cic. de Off. III. 18. Appian. l. c. III. 14, 94 f. Suet. Jul. 83. Vid. Dirksen. *Versuche*. pag. 73.**

290. Nuptiis facilius adquiritur, siquidem nuptiae Nuptiae. Divortia. Dotes. Manus. Hugo. pag. 486, 491.

(*a*) Sallust. Catil. 56. f. App. de bell. civil. I. 9. Florus III. 13.
(*b*) Liv. II. 41. Val. Maxim. V. 8 et 9. Senec. de clem. I. 15.
(*c*) Gell. V. 19.

facilius fiant, sublatis quibusdam earum prohibitionibus, velut consobrinarum (*a*) et propter ordinem, universe tamen crescunt celibatus et ἀπαιδία. Sponsalia etiam apud Latinos obligare desierunt (*b*); nec bigamiae poena est praeter infamiam (*c*).

291. Divortia in dies frequentiora jam aequali jure usurpantur; coërcentur tamen retentionibus ex dote (*d*), et judiciis de moribus (*e*).

292. Mulieres in manum plerumque non conveniunt (*f*); praeterea dotes habent, et bona receptitia (*g*). Coëmptio quoque fiduciae causa, id est, alterius rei causa quam matrimonii, usurpatur (*h*), cum coëmptionatore, veluti sacrorum interimendorum (*i*), tutelae evitandae, et testamenti faciendi causa (*k*). Potest quoque mulier divortio facto virum cogere ut se liberet (*l*). Parum igitur feminae arbitrio virorum reguntur.

## Quaestiones.

1. Cur sponsalia non obligant, quae tamen sponsione fieri videntur?

---

(*a*) Plutarch. Quaest. Rom. VI. Tacit. Annal. XII. 6.

(*b*) Gell. IV. 4.

(*c*) L. 1. L. 13. § 2. D. de his qui notantur inf. Conf. L. 2. C. de inc. nupt. (V. 5).

(*d*) Cic. Topic. 4. Ulp. VI. 9.

(*e*) Gaj. IV. 102. L. 1. Th. C. de dott. (III. 13.) L. 11. f. C. de repud. Gell. X. 23, et de eo loco Hasse. *Rhein. Mus.* II. pag. 106. Conf. quoque *Wächter. Ueber Ehescheidungen. Stuttgart.* 1122: pag. 99—108.

(*f*) Arg. Gaj. I. 111. Cic. Top. 3. Conf. tamen id. pro Flacco. 34.

(*g*) Plaut. Persa passim. Gell. XVII. 6.

(*h*) Gaj. I. 114 et 195.

(*i*) Cic. pro Murena. 12.

(*k*) Gaj. I. 115a.

(*l*) Id. I. 190 et 137.

2. Cur mature nuptias aversabantur Romani?
3. Cur bigamia illis tam grave peccatum esse non videbatur quam nobis?
4. Quae erat vera natura divortii Romani?
5. Quid est res *uxoria*, *dos*, *φερνή*, *προὶξ*? quae potuit esse origo dotium?
6. An mulier quae in manu est dotem habere potest? Cf. Cic. Top. 4. pro Flacco l. l. Vatic. § 115. Legatur Hasse. *Rhein. Mus.* II. pag. 75. *Schilling. Bemerk.* pag. 174.
7. Quid sibi vult actio quam pater de dote habet, *adjuncta filiae persona*? Cf. Ulp. VI. 6. L. 2. § 1. D. sol. matr.
8. Pensiones dotium unde ortae videntur? Ulp. ib. Polybius 32. 13. L. 1. § 13. C. de rei ux. act. (V. 13.)
9. Quid dicit Ulpianus VI. 11? Conf. L. 68. D. de jure dot.
10. Cautiones rei uxoriae quales erant? Cf. Gell. IV. 3.
11. Senes ad coëmptiones faciendas quid? Leg. Savigny. *Zeitschr.* II. pag. 387.
12. Quam ob rem potest mulieri coëmptio necessaria esse ad testamentum faciendum? Cf. Cic. Top. 4. Gaj. II. 121. Vide infra 365. quaest. 3.

293. Mancipium quoque vim suam amittere incipit; nam saepe dicis causa interponitur, et potest mancipatus censu liberari invito emptore, utique si non fiduciae causa a parente, aut propter noxam, mancipatus sit. Interim emtori nihil contumeliose adversus eum facere licet (*a*). **Mancipium.** Hugo. pag. 493.

294. Uti tutorem mulier mutare potest, ita etiam optare, si hoc ei vir cujus in manu erat permisit (unde tutores testamentarii distinguuntur dativi et optivi), **Tutela. Fiduciaria.** Hugo. pag. 495.

(*a*) Gaj. I. 138 seq.

eaque optio vel plena est vel angusta; et potest etiam optari in res singulas *(a)*.

295. Praeter legitimos tutores, ex lege duodecim tabularum, nunc habentur etiam qui alio modo ***legitimi*** appellantur *(b)*, id est dativi apud Justinianum *(c)*. Nam ex lege Atilia, ante annum 564 lata *(d)*, in urbe tutor datur a praetore urbano et majori parte tribunorum, tam feminis quam masculis, quibus nullus omnino tutor est *(e)*. In provinciis similiter datur a praesidibus earum, ex lege Julia et Titia, quae superiori lege posterior est, ceterum incertae aetatis *(f)*.

296. Item nunc habetur praetorius tutor moribus introductus, cui locus est quando cum tutore lege aut legitimo judicio agendum est *(g)*, non alias. Confirmationi autem eorum qui non jure dati sunt, nondum locus esse videtur, nec propter remotum suspectum a magistratu dari potest *(h)*.

297. Accessit praeterea fiduciaria tutela, qualem habet qui liberum caput sibi fiduciae causa mancipatum manumisit *(i)*. Pater vero qui filium manumisit sibi remancipatum, legitimus ejus tutor habetur; ex diverso liberi ejus fiduciarii tutoris loco numerantur.

---

*(a)* Id. I. 150. Liv. 39. 19.

*(b)* Ulp. XI. 2. 3. 18.

*(c)* L. 52. C. de episc. et cler. L. ult. C. de legit. tut.

*(d)* Liv. 39. 9.

*(e)* Gaj. I. 185 et 195.

*(f)* Ulp. XI. 18.

*(g)* Gaj. l. c. Ulp. XI. 24.

*(h)* L. I. § 1 f. D. de confirm. tut. Gaj. I. 182.

*(i)* Ulp. XI. 5.

Differentia in cessione tutelae, et in auctoritate saepe non sponte interponenda cernitur *(a)*.

298. Curatores etiam honorarii habentur, velut prodigorum ad quos lex non pertinet, et minorum ex lege Plaetoria *(b)*. Curatores. Lex Plaetoria. Hugo. pag. 394 et 498.

299. Lex Plaetoria de circumscriptione adolescentium ante annum 570. facta est *(c)*, aliaque salubria minorum causa instituit, quae suo quaeque loco referentur.

300. Satisdationes et excusationes nondum institutae esse videntur.

### Quaestiones.

1. Quare lege opus erat, ut magistratus tutorem dare posset, et cur tribuni adhibebantur?
2. Cur praetorius tutor ex duabus illis causis maxime datur, non ex aliis?
3. An culpandi erant Jureconsulti Romani qui fiduciariam mulierum tutelam introduxerunt?
4. Fiduciarius tutor mulieris cur auctor fieri cogitur, non aeque legitimus? An cogitur testamentarius?
5. Qualis est universe mutatio quae hoc tempore in tutela juris Romani contigit?
6. Quae causa fuisse videtur legis Plaetoriae? An idem jurisdictione effici non poterat? Quae est ejus necessitudo cum edicto de minoribus?

## Sectio II. De rebus et de adquirendo rerum dominio.

301. Uti personarum, ita etiam agrorum in Italia Ager in Italia, et in provinciis. Hugo. pag. 500.

*(a)* Vid. Gaj. I. 172. 190 seq. II. 122.

*(b)* Capitol. Marco. 10. Ulp. tit. XII.

*(c)* Arg. Plaut. Pseudol. I. III. vs. 69. juncta L. 2. Theod. C. de do-

varia conditio est. Etenim quem agrum populus Romanus ab hostibus cepit, is partim colonis adsignatur pleno dominii jure, partim divenditur; quantum autem propter bellorum assiduitatem incultum jacet, quod sane multum est, id palam proscribitur, ea lege ut pro mercede solvantur decimae fructuum: e sativis una, ex arboretis dupla decima, e pascuis autem (scriptura) pars aliquota pecoris. Non tamen valuit hoc institutum, quod ager ille magna ex parte possidetur a nobilitate, eaque possessio procedente tempore in dominium abiisse videtur (*a*). Rursus ager vectigalis est civitatium, qui certa mercede perpetuo locatur, quod et privati faciunt: tum vero praetor conductorem perinde tuetur ac si dominus esset (*b*). Idemque servatur in aedibus privatorum superficiariis (*c*).

302. Provinciale solum, nisi sit liberae civitatis (*d*), vel jus Italicum habeat (*e*), in dominio populi Romani est: cui est consequens ut possessor in eo nihil eorum facere possit quae nonnisi dominii jure quis facit, veluti sacrum facere vel religiosum, aut alienare jure Quiritium. *Utiliter* tamen haec omnia fieri possunt (*f*), tuitione praetoris.

---

natt. (VIII. 12). Cic. Brutus. 15. Priscian. Lib. VIII. Cap. 4. (T. I. pag. 373. ed. Krehl. Lips. 1819).

(*a*) Appian. de bell. civil. I. 7. Cic. de offic. II. 22. ad Attic. II. 16. Verr. III. 6. Conf. L. 16. D. de adq. rer. dom. Sic. Flacc. apud Goes. passim. Festus *possessio.*

(*b*) L. 1. D. Si ager vectigalis. Plin. Ep. VII. 18. Gaj. III. 146.

(*c*) Tit. D. de superfic.

(*d*) Liv. 33. 32. Id. 45. 29. Cic. in Verr. Lib. III. Cap. 6.

(*e*) Vid. supra 251. quaest. 6. Tit. D. de censibus.

(*f*) Gaj. II. 7. 46. L. 12. § 2. D. de public. i. r. act. Conf. Plin. Ep. X. 76.

### Quaestiones.

1. Ager vectigalis quid ab emphyteuticario, et ἐμβατευτικῷ, differt? Conf. L. 15. § 1 D. Qui satisdare cog. L. 3. § 4. D. de rebus eorum qui sub tutela. Conf. Birnbaum. *die rechtliche Natur der Zehnten.* p. 64. nota 34.
2. Quid interest inter decimas Romanas et recentiores?
3. Num differt *ager vectigalis* juris Romani a reditu fundi (*rente foncière*) apud Recentiores usitato? Conf. L. 3. § 4. cit. L. 86. f. D. de leg. I.
4. Quid est in L. 16 cit. ager limitatus, quid arcifinius?

303. Servitutes tam personarum quam praediorum jam plenissime habentur (*a*); sed nondum quasi ususfructus est earum rerum quae usu consumuntur (*b*), et parum constat quid sit habitatio (*c*). De partu ancillari disputatur (*d*). Servitutes. Hugo. pag. 502.

304. Constituuntur servitutes universe his modis quibus rerum dominium alienatur, et ab eo duntaxat qui ex jure Quiritium dominus est; ideoque in provinciali solo id pactionibus et stipulationibus efficitur, aut etiam per traditionem: quo facto non jure sed tuitione praetoris constituuntur (*e*).

305. Usucapione servitus constitui non potest, prohibente lege Scribonia (*f*) (cujus historia ignoratur); libertas tamen a servitute usucapi potest, et praetor usum diuturnum tuetur (*g*).

(*a*) Cic. de legg. I. 4. pro Caec. 26.

(*b*) Id. Topic. 3.

(*c*) L. 10 pr. et § 3. D. de usu et habit.

(*d*) Cic. de fin. I. 4.

(*e*) Gaj. II. 7 et 31. L. 11. § 1. D. de public. L. 25. §. ult. D. de usufr. L. 1. D. Quibus modis ususfr. amitt. Vatic. § 47.

(*f*) L. 4. D. de usurpatt.

(*g*) L. 10. D. Si servit vindicetur.

306. Ususfructus quodammodo (*a*) cum die et conditione constitui potest; servitutes praediorum non item.

307. Non utendo servitutes amittuntur, et quae personarum sunt omni capitis diminutione.

## Quaestiones.

1. Unde tam elegans tamque perfectus exstitit locus ille de servitutibus?
2. Nobisne satis hodie perspectus est? Quae postissimum in eo obscura esse videntur? Leg. *Schrader. Civilistische Abhandl. Weimar.* 1816. pag. 267.
3. An aliae aliis antiquiores esse videntur?
4. Cum pactionibus et stipulationibus constitui dicantur, quid proficit pactio, qnid stipulatio?

   Legantur: Schmidtlein. de servitutibus per pactum constituendis. Götting. 1823. *Francke. Civil. Abhandl. Gött.* pag. 129. *Archiv. für d. Civil. Praxis: IX.* 9. Hasse: *Rhein. Mus.* I. pag. 64. *Krit. Zeitschr.* I, II. pag. 66.
5. Cur servitutes usucapi non possunt; quodsi non possint, quid opus erat lege Scribonia? Conf. L. 14. D. de servitt. Aggen. Urbic. apud Goes. p. 53.
6. Quid dicit Paulus I. 17. 2?
7. Cur nocet usufructuario minima capitis diminutio?
8. Quid sibi vult illud in L. 1. § 3. D. de usufr. accresc. *usumfructum quotidie constitui et legari?* Conf. L. 3. D. Quib. mod. ususfr. am.

Pignus. Hugo.pag.539. 308. Pignus jure civili constituitur per mancipationem vel in jure cessionem fiduciae causa, quo tamen facto nihil differt a dominio (*b*); jure praetorio tradi-

(*a*) Vatic. § 50. L. 4. D. de servitt.

(*b*) Gaj. II. 59. 60. 220. Isid. V. 25.

tione vel pactione *(a)*, introducta actione Serviana, et quasi Serviana, quae etiam hypothecaria peregrino nomine appellatur *(b)*.

## Quaestiones.

1. Quibus rationibus defendunt proprium jus in re esse quod pignus appellatur, ac civilem in rem actionem pigneratitiam ab actione quasi Serviana diversam?
   Vid. *Grolman und Löhr. Magaz.* III. pag. 129.
2. Quis erat Servius ille a quo actio nominatur? Conf. Gaj. IV. 35.
3. Quid est hypotheca, ἀντίχρησις, formula hypothecaria?
4. Qua parte erat illa melius apud Athenienses quam apud Romanos constituta? Vid Harpocration et Etymologicum Magnum. v. ἄστικτον et ὅρος. Pollux ὅρους ἐφεστάναι et ὅρια ἀνασπᾶσαι Add. Demosth. adv. Onetorem. Orat. II. Idem in Spudiam. Plutarch. Solon. Cap. 15. Conf. tamen et infra 607 extr.
5. An lex commissoria jam usurpatur? Conf. Cic. l. c.
6. Cur erat illa invidiosa? Conf. L. 38. D. de minorr.
7. An hodie quandoque hypothecae vel pignoris loco venditione fiduciaria utuntur? Legatur *Erskine. An institute of the law of Scotland.* 1824. pag. 408: *Originally* etc.

309. Dominium nunc distinguitur duplex. Aut ex jure Quiritium aliqua res tua est, aut est in bonis tuis *(c)*; si in bonis est accedente demum usucapione ex jure Quiritium tua fit, nec interim eam jure civili vindicare potes *(d)*. In bonis sunt res mancipi non civili jure alienatae, veluti quae traditae tantum sunt. Dominium. Duplex. Hugo. pag 523.

---

*(a)* L. 13. § 3. D. de pign. et hypoth.
*(b)* Cic. ad famil. XIII. Ep. 56.
*(c)* Gaj. I. 54. II. 40. Theoph. I. 5.
*(d)* Id. IV. 16, 36, 41.

In primis vero cernitur differentia in jure servorum (*a*).

310. Etiam qui rem bona fide possidet ex justa causa jure honorario domini loco est, instituta Publiciana in rem actione (*b*).

311. Praeterea praetor possessorem exceptionibus tuetur, quibus jus civile imitatur, veluti longae possessionis praescriptione (*c*), et exceptione rei venditae et traditae (*d*).

QUAESTIONES.

1. Qui rem in bonis habet an Publiciana, aut simili actione, carere videtur? Legatur Zimmern. *Rhein. Mus.* III. 3. 330. Conf. quoque L. 12. § 2. D. de public.
2. Numquid de aetate ejus actionis constat?
3. Quid tibi prodest in servo nudum jus Quiritium habere, cum nec in potestate tua sit, nec tibi adquirat? Vid. Gaj. I. 167. Cur porro non est in tua potestate? nempe durat dominium tuum? Cur in servis tantum nominatur? Conf. Gaj. II. 41 cum I. 54.

Res mancipi, et nec mancipi. Hugo. pag.509.

312. Rerum mobilium et quae soli sunt nunc plures differentiae habentur; celebratur tamen magis alia distinctio, qua omnes res aut mancipi sunt, aut nec mancipi. Mancipi res sunt praedia in Italico solo, item jura praediorum rusticorum; item servi, et quadrupedes quae dorso collove domantur. Ceterae res nec mancipi sunt.

313. Eoque differunt a rebus mancipi, quod facilius

(*a*) Id. I. 17 et 54. Ulp. I. 16 et 23. coll. L. un. C. de nudo jure Quirit. toll. Gaj. II. 88 et III. 166.

(*b*) Gaj. IV. 36. § 4. I. de actt.

(*c*) Tit. D. de divers. temp. praescr.

(*d*) Tit. D. de except. rei vend.

alienantur, veluti nuda traditione: intellige si corporales sunt, et ob id recipiunt traditionem; si incorporales sunt mancipationem non recipiunt. Ex diverso mancipi res etiam incorporales mancipationem recipiunt (*a*).

314. Quae rerum distinctio nunc certissime est; an prius non fuerit valde quaeritur (*b*).

### Quaestiones.

1. Quo modo potuit forte nasci ista rerum divisio? Conf. Gaj. I. 192.

   Legantur. *Civil. Magaz. II.* 2. *Manhayn. Ursprung und Bedeutung der res mancipi und nec mancipi. Frankf.* 1823. pag. 61. Böcking. de mancipii causis Berolini. 1826. pag. 125. *Rolin. Nouvelle explication de la distinction entre les choses mancipi et nec mancipi. Gand.* 1827. (De eo libello vide *Bijdragen* III. 2. pag. 366.).
2. An similis quaedam apud alias gentes occurrit? Conf. maxime Blackstone. Lib. II. Cap. 30: *but there is one species* et reliq.
3. Cur jura praediorum rusticorum, nec etiam urbanorum, rebus mancipi annumerantur?
4. Cur certa tantum genera animalium? Gaj. II. 16. Isidor. IX. 4: *mancipium.* Cf. quoque Varro de re rust II. 5: *Eos cum emimus*, et 6: *in mercando.*
5. Cur etiam mancipantur res nec mancipi, veluti apud Plin. Nat. Hist. IX. 58, et quid dicit Cicero Top. 10? Cf. quoque Gaj. I. 120.

---

(*a*) Ulp. XIX. Gaj. II. 18 seq. Theoph. II. I. 40. Vatic. § 259. Gaj. II. 29.

(*b*) Conf. Cic. pro Murena 2. Pro Flacco 32. Topic. 11. juncto Gaj. II. 85. Vatic. pr. Nec obstat idem II. 47, nam vide Cic. pro Flacco 34, ad Attic. I. Ep. 5. Conf. tamen praeter auctt. citt. Schilling. pag. 152.

315. Adquisitiones juris gentium sine dubio pleraeque jam habentur; v. c. jura alluvionum et circumluvionum apud Ciceronem citantur (*a*), et exstat Trebatii sententia de fera vulnerata (*b*); quod autem in illis iniquum occurrit id saepe temperatur jure praetorio per doli mali exceptionem.

Usucapio. Lex Atinia. Lex Julia et Plotia. Hugo. pag. 631.

316. In mancipatione et in jure cessione nulla mutatio occurrit; sed usucapionis jus nunc plenius et magis enucleate habetur. Primum usucapiuntur maxime res mancipi quae traditae tantum fuerunt, nec mancipatae; deinde in rei alienae usucapione spectantur bona fides sive justum initium, et titulus sive causa possessionis, qui tamen improbus etiam nunc esse potest *pro herede*, et saepe generalis est *pro suo* (*c*); fortasse jam prodest quoque tolerabilis error (*d*). Insuper praeter longi temporis praescriptionem accessiones possessionum habentur, quibus usucapio multum juvatur (*e*).

317. Juvatur etiam lege Atinia, quae facit ut vitium rei furtivae purgari possit, quae lex ante annum 600. lata est (*f*).

318. Item lege Julia et Plotia (*g*), quae facit ut fundus furtivus non vi possessus usucapi possit, quae lex fortasse ad annum 665. lata est.

319. Item jure civili, quod res nec mancipi mulie-

(*a*) De Orat. I. 38.

(*b*) L. 5. § 1. D. de adq. rer. dom.

(*c*) Tit. D. pro suo.

(*d*) L. ult. eod.

(*e*) Tit. D. de div. tempor. praescr. L. 13. D. de adq. poss.

(*f*) Gell. XVII. 7. L. 4. § 6. D. de usurpp. et usucc. Conf. quoque Cic. de rep. III. 10.

(*g*) § 7. J. L. 33. § 2. eod. Gaj. II. 45. Cic. ad famil. VIII. 8. Pro Mil. 13. Ascon. pag. 79 et 55. ed. Orelli.

ris etiam legitimum tutorem habentis recte usucapiuntur (*a*). Sed et rem mancipi a muliere sine tutoris auctoritate alienatam, ab emtore, qui mulieri pretium dedit, usucapi, ex Rutiliana constitutione defendi potest (*b*).

320. Hereditas etiam nunc usucapi posse creditur (*c*).

321. Lucrativa usucapio etiam casus habere coepit non improbos, veluti cum debitor pigneratius vel deponens rem usu recipiunt fiduciae causa mancipatam.

322. In eadem causa est is cujus rem populus sibi obligatam vendidit, quo casu possessio tamen non anno sed biennio usu recipitur (*d*).

## Quaestiones.

1. In provinciali praedio jure honorario num prodest biennii possessio, an vero longa esse debet decem vel viginti annorum? Conf. Paul. V. II. 3 cum I. 17. et III. VI. 30.
2. An in rebus mobilibus prodest eadem praescriptio?
3. Quid lege Atinia opus erat ut vitium purgari posset?
4. Quid sibi vult Rutiliana constitutio? Cf. Buchholtz. ad l. c.
5. Quid est *manceps*, *praediator*, *praediatura*, *jus praediatorium*? Vid. Cic. in Verr. Lib. I. Cap. 54 et 55. Id. pro Balbo 20. Varro Lib. IV. p. 11. et Festus *manceps*. Cic. ad Att. XII. 17. Schol. Bob. Orelli. T. II. p. 244.
6. Quid est subsignare apud aerarium, apud censorem, Cic. pro Flacco 32? Vid. lex parieti faciundo, apud Spangenberg. Monum. leg. p. 71.

---

(*a*) Gaj. II. 47. Cic. ad Att. I. 5. Id. pro Flacco. 34.

(*b*) Vatic. initio. Conf. Gaj. IV. 35.

(*c*) Cic. ad Att. I. 5.

(*d*) Gaj. II. 59. seq.

323. Adjudicatione plenum dominium adquiritur, sed ita si judicium est legitimum (*a*), non etiam si imperio continetur: quae differentia postea explicabitur.

324. Item lege dominium adquiritur, seu potius testamento (*b*), cum per vindicationem, vel DO LEGO, legatur, quod jus nunc certum est (*c*).

Donatio. Lex Cincia. Hugo. pag. 538.

325. Non quidem propria species, sed causa adquisitionis, donatio est, singulari jure constituta per legem Cinciam. Lex ista modum donandi definit, nec tamen si plus donatum sit inter non exceptas personas id rescindit (*d*), sed praetor imperfectam legem tuetur, exceptione data, vel condictione, et vero actione rescissoria (*e*): scilicet si donatio non jam traditione firmata sit; attamen interdicto UTRUBI superior esse debet possessor, si res mobilis donata sit (*f*).

326. Eadem lege prohibitum est ne quis ob causam orandam pecuniam capiat, quia plebs prope vectigalis et stipendiaria patribus esse coeperat (*g*). Apparet igitur legem Cinciam publicam causam habere, et exstat eam anno 550, non sine magna contentione, perlatam esse (*h*).

(*a*) Vatic. § 47.

(*b*) Cf. Ulp. XI. 14.

(*c*) Id. XIX. 17.

(*d*) Id. initio. Vatic. § 298 seq. Paul. V. XI. 6.

(*e*) L. 21. § 1. L. 24. D. de donatt. L. 5. § 2 et 5. D. de doli mali exc. Vat. § 266. L. 4. L. 7. Theod. C. eod. (VIII. 12.) Nov. 162. Cap. 1.

(*f*) Vatic. § 307. seq. Scripserunt de hac lege: Savigny. *Zeitschr. IV. I. Heidelberg. Jahrbücher.* 1820. pag. 780. Rudorff. de lege Cincia. Berol. 1825. *Franke. Civil. Abhandl.* 1826. Hasse et Unterholzner *Rhein. Mus.* I. pag. 185. II. pag. 436. III. p. 153. Schroeter. Observ. pag. 92. Vid. quoque *Krit. Zeitschr.* I. 1. p. 184.

(*g*) Liv. XXXIV. 4. juncto Tacit. Annal. XI. 5. Plin. Ep. V. 21.

(*h*) Cic. de Senect. 4.

327. Moribus jam pridem receptum est, ut inter virum et uxorem donationes non valeant (*a*).

QUAESTIONES.

1. Quis modus donandi lege Cincia definitus esse videtur? Vid. Savigny l. c.
2. Quo modo fit ut ejus nulla mentio in Vaticanis reperiatur?
3. Quae necessitudo inter legem Cinciam et legem Furiam fuisse videtur? Schrader. *Civil. Mag.* V. II. pag. 164.
4. Cur vincit legem possessio? Cur vero spectatur in ea re interdictum UTRUBI?
5. Caput alterum numquid commune habet cum superiori?
6. An Romani ita impense donabant, ut res lege coërcenda videretur? Conf. Polyb. 32. 13. Cic. de orat. II. 71. ad Att. I. Ep. 20. de Off. II. 21.
7. Cur displicet donatio inter virum et uxorem?
8. Cur lege Cincia excipiuntur?

328. Alienare possunt hoc tempore qui olim non poterant, veluti creditor pigneratitius qui rei obligatae dominus factus non est, et mulier res nec mancipi sine tutoris auctoritate. Maritus fundum dotalem recte alienat.

329. Praeter personas juri nostro subjectas, plures aliae nunc sunt per quas certe duabus ex causis adquirimus; sed de possessione per alios adipiscenda adhuc dubitationes sunt, quae postea evanuerunt (*b*). In jure cessione ut ante, item adjudicatione, per eos qui juri nostro subjecti sunt non adquiritur (*c*).

(*a*) L. L. 38, 64, 65. D. de donatt. inter. vir. et uxor.

(*b*) Gaj. II. 86.

(*c*) Vatic. § 51.

### Quaestio.

An creditor in re mancipi jus Quiritium conferre potest in emtorem?

Successiones. Testamentum. Hugo. pag. 554.

330. Per universitatem nunc pluribus modis quam ante adquiritur. Successiones enim in bona tam vivorum quam mortuorum jure praetorio mirabiliter auctae et ampliatae sunt. Pariter jure civili quoque magnae mutationes inciderunt.

331. Testamentorum enim nunc unum tantum genus superest (*a*), cujus tamen velut duae species usurpantur. Namque testamentum per aes et libram potest quidem etiam nunc fieri eodem modo, plerumque vero fit longe aliter. Primum enim mancipatio est imaginaria tantum (ut in ipsa formula dicitur), nec familiae emtor heredis loco; deinde nuncupatione non ipsa voluntas testatoris mandatur, sed hanc scriptis tabulis, quas manu tenet, contineri dicit, easque generali sermone confirmat (*b*). Itaque a non scripto scriptum testamentum factum est: unde *lignum* et *tabulae* vulgo pro testamento nominantur, neque Edicti verbis non scripta voluntas apprehenditur (*c*).

332. Item arcanum est fere quod antea palam fiebat. Nec tamen non scriptum prorsus cessavit, et voluntatis nuncupatio quandoque cum scriptura conjungitur (*d*).

Testamenti factio. Heredis institutio. Lex Voconia. Hugo. pag. 560. Id. pag. 386.

333. Testator et heres, ut ante, cives esse debent,

(*a*) Cic. de nat. deor. II. 3. Gaj. II. 102.

(*b*) Gaj. II. 163. Suet. Nero. 4.

(*c*) L. 2. C. de bon. poss. sec. tabb. (VI. 11). Conf. tamen L. 8. § 4. D. eod. Item L. 6. § 2. D. de bon. poss.

(*d*) Cic. pro Milone 18. Vita Horatii Suet. adjecta. L. 25. D. Qui testam. facere poss. Cic. ad Att. VII. 2.

exceptis Latinis, iisque peregrinis quibus commercium datum est (*a*). Sed et peregrinorum testamenta, quae secundum suae civitatis legem fecerint, Romae valere, credibile est (*b*); fortasse valent tuitione praetoris (*c*). Plane servo publico testamentum facere permittitur (*d*). Mulier vero non nisi tutore auctore, et ita si se capite diminuit, testari potest (*e*).

334. Institui vero non possunt universitates, personae incertae, nec postumus alienus, neque postumus suus qui vivo testatore nascetur (*f*). Neque filius sub conditione quae non est in ipsius potestate. Item institui non potest mulier ab eo qui centum millia census est, propter legem Voconiam (*g*).

335. Lata est lex Voconia anno 584 (*h*), ejusque causa erat in compescenda potentia mulierum, quapropter a testamentariis liberalitatibus prohibebantur (*i*). Nec tamen legitimas hereditates lex apprehendisse videtur (*k*).

336. Ex diverso sui heredes eo favore utuntur, ut non recte silentio praetereantur: alioquin vel evertunt testamentum, vel adcrescunt. Plane filius non nisi no- Genera heredum. Hugo.pag.565.

(*a*) Gaj. II. 110. Ulp. XIX. 4.

(*b*) Ulp. XX. 14.

(*c*) Cic. Topic. 4: *exulum*.

(*d*) Ulp. XX. extr.

(*e*) Cic. l. c. Gaj. I. 115a. Cic. ad fam. VII. 21. Conf. infra 365 quaest. 3. Supra 132.

(*f*) Ulp. XXII. 19. Conf. Cic. de Orat. I. 39 extr.

(*g*) Cic. in Verr. Lib. I. Cap. 42. ibiq. Ascon. Gaj. II. 274.

(*h*) Id. de Senect. 5. Gell. VII. 13. XVII. 6.

(*i*) Cic. de rep. III. 19. Gell. XX. 1. Quinctil. Declam. 264. Conf. Sallust. Catil. 25.

(*k*) Arg. Paul. IV. VIII. 22.

minatim exheredari potest; reliqui possunt inter ceteros exheredari, dummodo postumis aliquid legetur. Praeterea proximae personae jure exheredatae vel praeteritae testamentum rescindere possunt per querelam inofficiosi, quae tamen (non utique quarta) parte relicta excluditur (*a*). Ceterum illa omnia exeunte hac aetate vix certi juris erant (*b*).

337. Servus proprius nunc saepe ignominiae evitandae causa necessarius heres esse jubetur; suis vero et necessariis, ut et illis qui in mancipio sunt (*c*), praetor abstinere permittit.

338. Extranei heredes triplici modo hereditatem adquirunt. Cretionis vero plures species sunt, nam praeter vulgarem et continuam, etiam *libera*, item *simplex* cretio nominantur (*d*). Postulantibus creditoribus praetor quoque tempus deliberandi praefinire solet, item longius quandoque coarctare (*e*).

339. Cum cretione conjuncta est substitutio, eaque jam duplex in usu habetur, sed nondum altera alteri inest (*f*).

340. Inter casus rumpendi est etiam uxoris in manum conventio (*g*), et quando filius mancipatus a patre in ejus potestatem recidit ab emptore manumissus (*h*).

---

(*a*) Arg. L. 8. § 8. D. de inoff. test.

(*b*) Cic. de Orat. I. 38. Val. Maxim. VII. 7. Gaj. II. 123. extr. Gaj. II. 160.

(*d*) Cic. de Orat. I. 22. ad Attic. XI. 12. XIII. 46. Vid. quoque Varro de L. L. V. p. 73.

(*e*) Gaj. II. 167. 170.

(*f*) Cic. Brut. 52. L. 4. D. de vulg. et pupill. subst. Cic. pro Caec. 18.

(*g*) Gaj. II. 139.

(*h*) Ulp. XXIII. 3.

## Quaestiones.

1. Duo priora genera testamentorum cur exoleverunt?
2. Mancipationis formula quam Bluhmius restituit (Gaj. II. 104.) quo modo interpretanda videtur?
3. Quo modo nuncupationis? Cur in ea heredis instituendi nulla mentio fit?
4. Cur Romani ita anxie celabant suum supremum judicium?
5. Cur persona incerta institui non potest?
6. Quanta est pecunia lege Voconia definita? Cf. Dion Cassius Lib. 56. Cap. 10. Gronov. de sestertiis III. 16. Arbuthnot. Tab. 12.
7. Quo modo poterat lex evitari? Cic. in Verr. 1. c.
8. Num quae personae exceptae fuerunt? Id. ib. vsu: *legis aequitas.* de finib. II. 17. de republ. III. 10. Augustin. de civit. Dei. III. 21.
9. Quo modo est legendus vel intelligendus August. locus?
10. Cur virgo Vestalis intestata heredem non habet, habet vero ex testamento? Conf. Gell. I 12. Schilling. pag. 210.

    De lege Voconia scripserunt Perizonius in Triade Dissertt. Wieling. Lectt juris civilis. II 10.
    Kind. de lege Voconia. Lips. 1820.
    Savigny. Annal. Acad. Berolin. Class. hist.-phil. 1820.
    *Zimmern. Untersuchungen* pag. 311.
    Hasse. *Rhein. Mus.* III. pag. 183.

11. Cur sui heredes praeteriri non possunt? Cur praecipuo jure utitur filius?
12. Qua ratione potest potestas centumvirorum explicari rescindendi recte facti testamenti?
13. Quid est apud Ciceronem *libera* cretio, quid *simplex*? Conf. Schilling. pag. 196.

Legata. Leges Furia, Voconia, Falcidia. Hugo. pag. 569 et 386. Id. pag. 714.

341. Legatorum jam quatuor genera sunt, quae tamen ad duo prope revocari possunt, dominii et obligationis; quorum alterum legatum per vindicationem, sive DO LEGO legatum, alterum per damnationem relictum appellatur. Huic adjungitur legatum quod sinendi modo datur, cum heres damnatur legatarium sinere habere (*a*); illi, legatum per praeceptionem relictum, cum dominium heredi vel heredibus legatur.

342. Quale autem cuique legatum relictum sit, id verborum conceptione aestimatur, et pro cujusque legati natura alia atque alia actione petitur (*b*).

343. Item an juri accrescendi locus sit (*c*), et uter optare debeat genere legato (*d*), indidem cognoscitur.

344. Legari deinde potest testamento duntaxat (*e*), nec ante heredis institutionem, neque post mortem vel heredis vel legatarii, fortasse nec poenae causa (*f*).

345. Neque cuilibet promiscue legari potest, veluti quibuscum testamentifactio non est (*g*), aut mulieri quae lege Voconia prohibetur (*h*).

346. Res quae legari possunt sunt innumerabiles (nec tamen omnes eodem modo), et potest pars hereditatis (partitio) legari (*i*). Ceterum quantitas definita est le-

---

(*a*) Conf. Tab. Heracl. (Hugo. pag. 350.): DATO, DARE IUBETO, NEVE SINITO.....

(*b*) Gaj. II. 192 seq. Ulp. XXIV. Vatic. § 85. et passim.

(*c*) Ibid. l. l. c. c.

(*d*) Ulp. XXIV. 14. L. 4. D. de tritico, vino, oleo. L. 37. L. 71. L. 108. § 2. D. de legat. I.

(*e*) Ulp. l. c.

(*f*) Gaj. II. seq. Capitol. Pio. 8. §. ult. I. de legat.

(*g*) Id. II. 218. § 24. I. eod.

(*h*) Cic. de republ. I. c. Conf. tamen Hasse. l. c.

(*i*) Ulp. l. c. § 25. Gaj. II. 254. Conf. etiam Cic. de legg. II. 20 et 21.

gibus Furia, Voconia, Falcidia *(a)*, non etiam libertates.

347. Per legem Furiam, quae antiqua est, et ante legem Voconiam lata, plus quam mille assium legatum mortisve causa capere prohibetur, praeter exceptas personas (easdem prope quae lege Cincia excipiuntur) *(b)*, et adversus eum qui plus ceperit quadrupli poena est, per manus injectionem persequenda *(c)*.

343. Successit ei multo post lex Voconia, qua cautum est, ne cui plus legatorum nomine mortisve causa capere liceret, quam heredes caperent *(d)*.

349. Sed cum illae leges non sufficerent, scripta est anno 714. lex Falcidia *(e)*, ne plus legare liceret quam dodrantem *(f)*; quod tamen an ideo, nec magis aerarii causa constitutum sit, dubitatur *(g)*.

350. Propter legem Voconiam quoque *(h)*, sed maxime per bella civilia, fideicommissa invaluerunt, quae saepe codicillis vel epistola relinquuntur; attamen vim juris non habent *(i)*.

### Quaestiones.

1. Supra scripta legatorum distinctio cur hac aetate demum orta videtur? Estne ea fortuita aliqua aut arbitraria?

---

*(a)* Id. II. 225 et 226.

*(b)* Vatic. § 298. Ulp. I. et XXVIII. 7. Varro fragm. p. 247 extr.

*(c)* Ulp. initio § 2. Gaj. IV. 23.

*(d)* Cic. in Verr. Lib. I. Cap. 43. Gaj. II. 226.

*(e)* Dion Cass. 48. Cap. 33.

*(f)* Gaj. II. 227. L. 1. D. ad L. Falcid. Ulp. XXIV. 22.

*(g)* Conf. Dion. Cass. 55. Cap. 25. App. de bell. civil. V. 67.

*(h)* Cic. de finib. II. 17. Gaj. II. 274 et 285.

*(i)* Id. eod. et in Verr. Cap. 47. Titt. I. de fideic. heredd. et de Codicill.

2. Quare debet testator per vindicationem legans utroque tempore dominus esse ex jure Quiritium? Cur non etiam in his rebus quae pondere, numero, mensurave constant?
3. Idemne exigitur in legato per praeceptionem relicto? Gaj II. 222.
4. Quae est vis et potestas damnationis in legatis?
5. An talis damnatio (praeterquam in judiciis) et alibi apparet? Vid L. 2. D. ad L. Aquil Lex Rubria passim.
6. Quale est jus adcrescendi in legatis? Cur non aeque locum habet in quoque genere legatorum?

   Conf. *Holtius. Analyse historique du droit d'accroissement entre légataires. Liége.* 1830.
7. A legatario cur legari non potest? Ulp. XXIV. 20.
8. Cur placuit legandi facultatem legibus coërcere?
9. An vero simile est, illarum omnium unam eandemque causam esse?
10. Voconiae duo capita quae novimus an aliqua ratione conjuncta sint? Conf. Cic. Verr. C. 47. L. 1. D. ad L. Falc.
11. Mortis causa donatio quid a legato differt? Quae causa ejus et origo esse potuit?
12. Quam vim habuit lex Falcidia maxime in jus nostrum?

Legitima hereditas. Hugo. pag. 576.

351. In hereditatibus quae ab intestato deferuntur subtili interpretatione Jureconsultorum insignis mutatio effecta est. Separati sunt a reliquis agnatis fratres et sorores, qui consanguinei appellantur, et placuit ut feminae ultra consanguinitatis gradum succedere non possent (*a*). Jura gentilitatis et applicationis nondum exoleverunt (*b*).

(*a*) Paul. IV. 8. 22. Id. in Coll. XVI. 3. Theoph. III. II. § 3. Justin. in L. 14. C. de legit hered. Gaj. III. 23.

(*b*) Cic. in Verr. Lib. I. Cap. 45. de Orat. I. 39.

### Quaestiones.

1. Quo modo potuit Gajus illud legi imputare, secus quam reliqui auctores? Legatur Euler. apud Burchhardi. *Grundzüge des Rechtssystems der Römer. Bonn.* 1822.
2. Quo modo intelligendum est Pauli illud: *Voconiana ratione?* Conf. Kind. Dissert. supra cit. Zimmern: *Krit. Zeitschr.* III. I. pag. 13.

352. Jure praetorio ad exemplum hereditatis succeditur per bonorum possessionem, quae ab Ulpiano (*a*) definitur: jus persequendi retinendique patrimonii, sive rei, quae cujusque cum moritur, fuit. Bonorum possessio. Hugo. pag.578.

353. Jus illud imperio praetoris consistit (*b*), apud quem bonorum possessio petitur vel agnoscitur; nonnunquam decreto ejus conceditur, causa cognita (*c*).

354. Eaque, vel per se vel per alium, impetrata, potest quisque per interdictum QUORUM BONORUM, quod huic rei proprium est, corporalium rerum possessionem adipisci (*d*), eamque adeptus res illas in bonis habere, ac retinendo usucapere (*e*).

355. Interim habet quoque actiones utiles, quibus ficto se herede agit; habet adeo possessoriam hereditatis petitionem (*f*).

256. Adversus debitores hereditarios similem persecutionem habet fictitiis actionibus. Ex diverso ipse eodem modo a creditoribus hereditariis conveniri potest (*g*).

(*a*) L. 3. § 2. D. de bon. poss.

(*b*) L. 3. D. de jurisdict.

(*c*) L. 3. § 7 et 8. tit. cit.

(*d*) Gaj. IV. 144. Tit. D. Quor. bon.

(*e*) Id. II. 52. III. 80 et 81. Conf. L. 1. D. de bon. poss. *itemque dominium.*

(*f*) Id. IV. 34. Tit. D. de poss. hered. petit. L. 3. § 13. de Carbon.

(*g*) Id. l. c. et II. 253.

357. Postremo neque sacrorum onus non ad eum pertinet (*a*). Itaque per omnia heredis loco constituitur (*b*).

358. Utique si bonorum possessio ***cum re*** habetur, id est cum re familiari vel patrimonio; quodsi ***sine re*** sit, cum hereditas ab alio jure legitimo possit evinci (*c*), non tamen ideo inutilis est.

### Quaestio.

**Quibus ex causis potuit exsistere, et qua ratione sensim informari haec successio praetoria? Conf. Löhr. *Mag.* III.**

359. Distinguitur bonorum possessio trifariam. Primum enim vel testato succeditur, vel intestato; sed cum testato succeditur, perinde atque in jure civili, quaedam personae herede scripto potiores sunt. Hinc bonorum possessio contra tabulas, et secundum tabulas, item tertia quae intestati datur. Qua triplici bonorum possessione (plura enim genera esse non credimus), quantopere jus civile adjuvetur, suppleatur, corrigatur, nunc patefiet.

**Contra tabulas.** 360. I. Contra tabulas datur bonorum possessio:
**Hugo. pag. 584.** 1°. Liberis praeteritis tam suis (praeter filium) quam emancipatis. Suis non quidem necessaria, sed tamen utilissima est, cum propter interdictum QUORUM BONORUM, tum propter majorem portionem quam hoc pacto saepe consequuntur. Emancipatis autem datur, tam qui a defuncto emancipati sunt, neque in alia familia nunc

(*a*) Cic. de legg. II. 19.

(*b*) L. 2. D. de bon. poss. § 1. I. eod. Gaj. III. 26. 32. Ulp. XXVIII. 12.

(*c*) Ulp. XXVIII. 13. Gaj. II. 148. III. 35. L. 5. § 1. D. de bon. poss. sec. tab. L. 12. D. de inj. rupto.

inveniuntur, quam qui in adoptionem dati a patre adoptivo emancipati sunt; praeterea his datur qui ex emancipatis vel in adoptionem datis nati sunt. Attamen adoptivis qui defuncti familia exierunt, item in adoptionem datis qui in aliena familia nunc sunt, non datur *(a)*.

361. Neque emancipatis aliter datur quam si bona sua non emancipatis conferant.

362. 2°. Liberis heredibus in testamento scriptis datur bonorum possessio, ubi commissum est per alium edictum: quibus si naturales sunt nec nocet in aliam familiam transiisse; idque his personis utilissimum est cum propter legatorum onus, tum quoties ex minore parte scriptae sunt.

363. Exheredatis haec bonorum possessio non competit, neque contra testamentum mulieris locum habere potest. Quae vero de liberis adoptivis diximus, eadem de uxore et de nuru, quae in manum convenerunt, intelligenda sunt.

## Quaestiones.

1. Bonorum possessio *edictalis, decretalis, ordinaria* quid?
2. Quo jure poterat praetor data hac b. p. contra tabb. civis Romani sanae mentis testamentum rescindere?
3. Quam aequitatem habet haec bonorum possessio?
4. Quid prodest suis heredibus?
5. Quo modo interpretanda videntur Ulpiani verba in L. 1. § 6. de b. p. contra tabb.: *sive alias exierunt?* Vid. Schilling. pag. 208.
6. Cur exigitur collatio?
7. Quid differt ista collatio a collatione dotis?

---

(a) L. 3. L. 6. § 2. L. 7. L. 21. D. de bon. poss. contra tab.

8. Quae legata tuetur praetor? An integra tuetur? Cur haec, non alia? Conf. Ulp. XVIII.
9. An legata duntaxat?
10. Cur Veteres hunc titulum anguste interpretabantur? Cf. L. 1. L. 3. L. 5. § 6. L. 8. D. de legat. praest. contra tabb.
11. Qua actione agent legatarii cum eo qui ipso jure heres non est?
12. Cur ad testamenta feminarum non pertinet hoc edictum?

Secundum tabulas. Hugo. pag. 587.

364. II. Cessante bonorum possessione contra tabulas, datur heredi scripto secundum tabulas, non vitiosas, id est, septem testium signis signatas, aut *non minus multis quam e lege oportet* (*a*); nec nocet mancipationem deficere aut nuncupationem. Idem est si mulier sine tutoris auctoritate testamentum fecit (*b*).

365. Item cum testamentum non valet filio suo herede praeterito, aut cum rumpitur agnato postumo, vel cum irritum fit per capitis diminutionem testatoris, sublato aliquo modo impedimento haec bonorum possessio peti potest (*c*).

366. Nec tamen contra legem Voconiam datur (*d*), neque cum re contra legem duodecim tabularum, qua legitimi heredes vocantur (*e*).

### Quaestiones.

1. Quo jure poterat haec b. p. dari? Propter quam aequitatem dabatur?

---

(*a*) Cic. Verr. Lib. I. Cap. 45. L. 3. D. Si tab. test. null. ext.

(*b*) Gaj. II. 119.

(*c*) Id. II. 147. L. 1. § 8. L. 11. § 2. D. de bon. poss. sec. tabb. L. 12. L. 17. D. de inj. rupto.

(*d*) Arg. Verr. I. 41. L. 12. § 1. D. de b. p.

(*e*) Gaj. II. cc.

2. Quae LEX intelligitur in edicti formula: lex duodecim tabularum, an loci?
3. Si qua mulier se capite nunquam diminuit cum cesset bonorum possessio (Gaj. I. 115a. Cic. Top. 4.), quî fit ut non etiam cesset omissa tutoris auctoritate? Vid. Gaj. III. 43.
4. Qualis est Peritorum dubitatio apud Cic. ad fam. VII. 21? Leg. Huschke. *Studiën. Breslau.* 1830. pag. 20.
5. Quousque servat praetor legem Voconiam?
6. Cur legem qua mancipatio exigitur non servat?
7. An per hanc bonorum possessionem praeter legata etiam libertates et tutelae servantur? Cf. L. 12. L. 17. D. de inj. rupto.
8. An pendente conditione peti potest? L. 5 et 6. D. de b. p. sec. tabb.
9. Qua actione agent legatarii?

367. III. Bonorum possessio intestati competit, si neque contra tabulas, neque secundum tabulas agnita sit, per quatuor gradus. Intestati. Hugo. pag. 590.

368. 1°. Primum iis competit (nec tamen non et filiofam.), qui contra tabulas petere bonorum possessionem potuissent, ex parte edicti UNDE LIBERI.

369. 2°. Ex parte UNDE LEGITIMI, verbis TUM QUEM EI HEREDEM ESSE OPORTET, iis competit qui lege duodecim tabularum, ejusque interpretatione nunc usitata, comprehenduntur; nec tantum agnatis competit, sed etiam suis, item gentilibus; an vero agnato proximo duntaxat, quaestio est (*a*).

370. 3°. Ex parte UNDE PROXIMI COGNATI vocantur omnes, qui vel civili vel naturali cognatione cum defuncto conjuncti sunt, etiam citra matrimonium quae-

(*a*) Gaj. III. 28.

sita, non tamen servili, et praefertur utique proximus remotiori. Haec bonorum possessio latissime patet, etsi sextum gradum (praeter e septimo duas personas) non excedit.

571. 4°. Denique ex parte UNDE VIR ET UXOR conjuges vocantur, scilicet eorum causa qui per in manum conventionem conjuncti non sunt.

QUAESTIONES.

1. Si repudiaverit bonorum possessionem filius, an nepos ex eo, vel nepotes, ex parte UNDE LIBERI, in locum et portionem parentis sui succedere possunt?
2. Dubitatio apud Gajum III. 28. unde nata esse videtur? An hoc tempore jam fuerit?
3. Unde terminus, quo b. p. UNDE COGNATI concluditur; an ex lege Furia? Quid inde de aetate et de ratione edicti inferre licet? Conf. Ulp. XXVIII. 7. Vatic. § 301.
4. Cur reliquae septimo gradu personae non admittuntur?
5. Quare conjuges tam remoto loco vocantur? An id probandum est hodie?

Bona libertorum. Venter. Carbonianum. Hugo. pag. 583. Id. pag. 603 et 613.

372. Adhuc de ingenuis diximus: nunc de libertorum bonis videamus. Cum lex duodecim tabularum non satis patronis consuleret, patroni autem sibi ipsi nimium consulere viderentur, edixit primum praetor Rutilius, se non amplius quam operarum et societatis actionem patrono e pactione daturum; deinde posteriores praetores certae partis bonorum possessionem polliciti sunt (*a*).

273. Itaque patronus dimidiae partis bonorum possessionem habet, tam intestati quam contra tabulas liberti, si is ex naturalibus liberis civili vel praetorio

(*a*) L. 1. D. de bon. lib. L. 1. § 7. D. Quar. rer. actio.

jure successorem nullum relinquat, licet suo herede non carens; quodsi careat suo herede, patronus ex asse liberti intestati bonorum possessionem petere potest, ex parte UNDE LEGITIMI. Si testatus moritur, et scriptus heres bonorum possessionem non adgnoscit, etiam huius partis patrono separatim bonorum possessio offertur (*a*).

374. In liberta haec omnia cessare palam est (*b*); sed patroni liberi masculi idem jus habent quod patronus, feminae vero lege, et edicto UNDE LEGITIMI contentae esse debent. Idem de patrona dicendum est (*c*). Quodsi vel patronus vel libertus capitis diminutionem passus sit, id bonorum possessioni petendae non officit, praeterquam UNDE LEGITIMI (*d*).

### Quaestiones.

1. Quis erat ille praetor Rutilius? Cf. Gaj. IV. 35. Vatic. § 1.
2. Quare tantum juris patrono tribuendum esse videbatur?
3. Quod in L. 1. D. de bon. lib. exstat: *honoris moderandi gratia*, quo modo conciliari potest cum iis quae in L. 20. D. de jure patr. et in L. 2. C. de bon. poss. contra tabb. lib. (VI. 13.) praecipiuntur?
4. Cur feminis in hac parte praetores minus quam masculis prospexerunt?

375. Si liberum caput manumissum sit a parente, liberti patitur exitum (*e*); sin ab extraneo, manumissor contra testamentum eius nihil potest; ab intestato vero ei decem personae primi et secundi gradus praeferuntur,

(*a*) Gaj. III. 41. Ulp. 29. 1. L. 2. § 1. D. Unde lib. L. 6. D. de bon. poss. Val. Max. VII. 7, 6.

(*b*) Id. III. 43 et 51.

(*c*) Ulp. XXIX. 5 et 6.

(*d*) Arg. Gaj. III. 51. L. 5. § 1. D. de bon. lib.

(*e*) L. 1. D. Si a parente quis manum.

quibus deinde et manumissore cessantibus, admittuntur cognati lege Furia excepti *(a)*.

376. Quodsi libertus patronum non relinquat, neque patroni liberos, bonorum possessio tertio gradu datur proximis cognatis *(b)*; quarto familiae patroni, id est agnatis, ex parte TUM QUEM EX FAMILIA; quinto patrono patronaeque, item liberis patroni patronaeque (id est, ipsius patroni patronaeve, ubi familia non est quia patronus ipse manumissus est) *(c)*; sexto viro et uxori; septimo cognatis manumissoris qui lege Furia excepti sunt *(d)*.

377. Haec de bonis libertorum. Postremo praetor edixit: UTI ME QUAQUE LEGE BONORUM POSSESSIONEM DARE OPORTEBIT, ITA DABO *(e)*.

378. Est et alia pars edicti, ex qua, si in utero est is qui bonorum possessionem petere posset, venter mittitur in possessionem bonorum, ut interim alatur *(f)*.

379. Item Carbonianum edictum, quo ex decreto bonorum possessio impuberi datur, cui, an inter liberos sit, status fiat controversia *(g)*.

Successorium. Quis ordo. Hugo. pag. 605. 380. Definivit etiam praetor tempus petendi, annum utilem liberis et parentibus, reliquis centum dies utiles *(h)*.

381. Quodsi quis intra statutum tempus non peti-

*(a)* Coll. legum Mos. et Rom. extr. Ulp. XXVIII. 7. § ult. I. de succ. cogn.

*(b)* Gaj. III. 51.

*(c)* Conf. tamen Quaest. 1.

*(d)* Ulp. l. c. Coll. l. c. § 3. I. de bon. poss. ibiq. Theoph.

*(e)* Tit. D. Ut ex legibus. Conf. supra 366.

*(f)* Tit. D. de ventre in poss.

*(g)* Tit. D. de Carb. edicto.

*(h)* Ulp. XXVIII. 10.

verit, aut juri adcrescendi (*a*), aut successorio edicto locus est, ex quo sibi ipse etiam quisque succedit (*b*).

382. Igitur hoc tempore et jure civili succeditur per hereditatem, et jure praetorio per bonorum possessionem, nec potior utique heres est nec bonorum possessor. Contra tabulas bonorum possessor superior est scripto herede, nec suo heredi cedit. Secundum tabulas vero cum petitur, legitimus heres hereditatem evincere potest, idemque ab intestato praefertur; patrono tamen suus heres non naturalis postponitur. Itaque aliquando cum re est bonorum possessio, aliquando sine re, ut alio loco diximus.

383. Cum nec civili nec praetorio jure quisquam successor exsistit, bona non populo deferuntur (*c*) (praeterquam virginis Vestalis), sed occupantibus conceduntur, aut possidentur a creditoribus.

### Quaestiones.

1. An patronus patroni ab Ulpiano quinto loco collocatur, an vero patronus non legitimus intelligendus est? Conf. Göschen. *Civil. Magaz.* IV. pag. 257. Unterholzner. *Zeitschr.* V. I. pag. 26.
2. Quare decem personae apud Ulpianum non occurrunt? Conf. Erb. *Civil. Magaz.* V. pag. 129.
3. An possessio quae ventri datur ad bonorum possessiones referenda est?
4. Carboniana quid differt a reliquis? Vid. L. 3. § 15. L. 4. L. 15. D. de carbon. ed.
5. Bonorum possessio litis ordinandae gratia qualis est? L. 8. D. de inoff. test.

(*a*) L. 3. extr. seq. D. de bon. poss.

(*b*) L. 1. § 1. D. Quis ordo. Ulp. l. c. seq. L. 1. § 11. D. de succ. edicto.

(*c*) Cf. Ulp. XXVIII. 7.

6. An et eodem gradu successio est? Ulp. XXVIII. 11. Gaj. III. 28. L. 1. C. de succ. ed. (VI. 16.)

Bonorum emtor. Sacra. Hugo. pag. 614.

384. Est et alia successio jure praetorio instituta, quae per bonorum emtionem contingit, a praetore Publio Rutilio introductam (*a*). Judicatorum bona, item fraudationis causa latitantium, et eorum qui sine successore moriuntur, postquam a creditoribus possessa proscriptaque sunt, per magistrum venduntur, eique ex licitantibus addicuntur qui creditoribus plurimum servat (*b*).

385. Nec tamen emtor ille pleno jure dominus est, sed res tantum in bonis habet, easque usucapere potest; actionibus autem agit et convenitur fictitiis (*c*).

386. Hunc emtorem etiam sacra sequuntur, quae pars juris pontificii nunc cumulatius constituta est. Namque 1°. sacra pertinent ad heredem; 2°. ad eum qui morte testamentove defuncti tantundem capit, quantum heredes; 3°. ad eum qui de bonis plurimum usuceperit; 4°. ad bonorum emtorem; 5°. ad debitorem defuncti, qui eam pecuniam, cum non solverit, cepisse intelligatur (*d*).

### Quaestiones.

1. An olim ex bonorum emtione legitimum dominium adquirebatur? An actiones directae? Vid. Varro de re rustic. II. 10. Cic. de legg. II. 19. Gaj. III. 80: *interdum quidem.*
2. Quid est *sectio*, *sector?* Gaj. IV. 146. Cic. pro Roscio Amerino. 29. Festus in voce. Ascon. pag. 177.

---

(*a*) Gaj. IV. 35.

(*b*) Id. III. 78 seq. Theoph. III. 12. Cic. de legg. II. 19. Id. pro Quintio. 19.

(*c*) Id. III. 80 et 81. IV. 35.

(*d*) Cic. l. c. Savigny. *Zeitschr.* II. pag. 364.

3. An creditores qui in bona missi sunt jam idem jus habent quod bonorum emtoribus tribuitur? Cic. pro Quintio. 27. L. 3. f. D. de adq. poss.
4. Num hodie apud Recentiores similia instituta inveniuntur?

## Sectio III. De obligationibus.

387. Obligationis nomen nunc in usu habetur, ac patet latissime. Vetus nexus non quidem exolevit, sed verborum obligatio longe frequentior est, et praeter obligationes quae re contrahuntur, sive nudo facto, habentur nudae conventiones non ita paucae, quae lege (*a*), vel jure gentium, vel jurisdictione praetoris confirmantur. Obligationum genera. Hugo. pag. 616.

388. Deinde praetor novas actiones bene multas instituit, quarum aliqua si quis tenetur, obligatus dicitur, et vero obligationes praetoriae vel honorariae non proprie nominantur (*b*), sane verius quam naturales obligationes.

389. Aliud novum genus est literarum obligatio.

### Quaestiones.

1. Quo modo invaluerunt consensu obligationes, cum jure Romano ex nuda pactione actio non nascatur?
2. Conventiones a praetore confirmatae quare *contractus* nunquam appellantur?
3. Quid est obligatio naturalis e sententia Romanorum?
4. Quae necessitudo esse videtur inter obligationes civiles,

(*a*) L. 6. D. de pactis. Gaj. III. 122. Tit. D. de condict. ex lege. L. 41. D. de obl. et act.

(*b*) Cf. Tit. I. de obligat. L. 1. § 8. de pecun. const. L. 52. § 6. D. de obl. et act. L. 8. f. D. de acceptil.

praetorias, et naturales? Conf. L. 1. § 1. D. de novatt.
5. An ex nuda pactione obligatio nascitur, scilicet naturalis? Conf. L. 5. § 2 D. de solutt. Paul. pr.

390. In deposito praetor distinctionem introduxit, ut actioni in duplum tantum instans periculum locum faciat *(a)*.

Lex Rubria. Hugo. pag. 7 et 710.

391. Item in mutui datione differentia est, utrum pecunia certa credita sit, signata f. p. p. R., an alia res *(b)*, quod etiam lege Rubria confirmatur.

392. Legem Rubriam hujus temporis esse, prope certum est, ejusque historia est talis. Anno 1760. inter ruinas Vellejates tabula aenea satis ponderosa effossa est, in qua legis fragmenta exstant, ad Galliam Cisalpinam, et ad jurisdictionem in ea provincia spectantis. Agitur in ea de operis novi nunciatione, de damno infecto, de rebus creditis, et de familiae erciscundae judicio. Quarum rerum occasione multa nobis utilia referuntur *(c)*.

Foenus.

393. Rei foenebris fata Tacitus tradidit *(d)*. Primum hac aetate, anno 397. perlata est lex de usuris in sortem imputandis; decennio post alia lege rogatione tribunicia usura ad semunciam redacta est; mox anno 411, lege Genucia ut videtur, vetita versura. Sed fraus legi inventa est transcriptis nominibus in Latinos, donec anno 560. plebiscito efficeretur, ut idem jus creditae pecuniae cum Latinis, quod cum civibus Romanis esset *(e)*. Interea temporis etiam lege Marcia manus in-

*(a)* L. 1. § 1. D. depositi. Paul. in Coll. X. 7.

*(b)* Conf. Gaj. IV. 13 et 171.

*(c)* *Civil. Magaz.* T. II. *Thémis.* VII. 8.

*(d)* Annal. VI. 16. Adde Liv. VII. 16 juncto VI. 35 et 39 initio. Item VII. 27 et 42.

*(e)* Liv. 35. 7.

jectio adversus foeneratores est constituta. (*a*). Verum nullas illarum legum valere siverunt mores populi (*b*), et invaluit jam hac aetate centesima usura (*c*), quae deinceps ad Justiniani usque tempora duravit, et ultra.

394. Exemtum est legibus nauticum foenus, quod adeo ex pactione debetur (*d*), uti usurae civitatibus (*e*).

## Quaestiones.

1. Unde duplum in deposito?
2. Quare severior est obligatio signatae pecuniae? quare Romanae pecuniae?
3. Legis Rubriae nomen et aetas unde apparent?
4. Quando lata est lex Marcia?
5. An potuerunt nomina in Latinos transcribi? Nempe obstat Gaj. III. 133?
6. Cur trajectitiae pecuniae, et civitatium, usurae ex pacto debentur?
7. Quo modo invaluit centesima? Conf. Böck. *Staatshaushalt. d. Athen.* p. 143.

395. Verborum obligationes jam pleraeque juris gentium esse videntur (*f*); et quaedam sine interrogatione fiunt, veluti dictio dotis, et operarum obligatio per jusjurandum contracta (*g*). Verborum obligationes. Sponsio. Hugo. pag. 620.

396. Multae etiam jure praetorio introductae sunt,

(*a*) Gaj. IV. 23.

(*b*) Appian. de bell. civil. I. 54. Vid. tamen Liv. VII. 28. X. 23. XXXV. 41.

(*c*) Cic. ad Att. V. Ep. ult: *cum ego in edicto tralatitio....*

(*d*) L. 7. D. de naut. foen.

(*e*) L. 30. D. de usuris.

(*f*) Gaj. III. 93.

(*g*) Gaj. Visigoth. II. 9. Ulp. VI. 1. Vatic. § 99 seq. Tit. D. de oper. libert. Cic. pro Flacco 35. ad Att. VII. 2. L. ult. D. de lib. causa.

veluti quas praetor in albo propositas habet (*a*), quales litigatores saepe vel a praetore vel a judice facere jubentur: unde divisio in L. 5. D. de verb. obl.

397. Praeterea sponsiones (*des gageures*) et restipulationes fiunt judicii ordinandi causa, et cum poenae periculo, sacramento antiquo non absimiles (*b*).

QUAESTIONES.

1. Qua ratione potest verborum obligatio juris gentium esse? Cf. L. 8. § ult. D. de acceptil. Gaj. III. 133 et 179.
2. Cur filiafamilias dotem dicere non potest? Cur mater ejus non potest?
3. Obligatio operarum an civilis est? Gaj. III. 83. Quare morte et capitis diminutione patroni consumitur?
4. Quid opus erat propria obligatione inter patronum et libertum? Numquae vis major in jurejurando? Conf. Gaj. IV. 176. L. 8. D. de cond. instit. L. ult. cit.
5. Cur sponsio Graece fieri non potest? Conf. Gell. IV. 4. Gaj. II. 281. Festus. *spondere.*
6. Cur alteri stipulari non potest? Quidni post mortem, neque ad tempus?
7. Quare obligatio cedi non potest? Conf. Gaj. II. 38.
8. Unde sponsionum usus in litigando? An forte Romanis id assiduum erat, ut ex moribus gentis explicari posit? Conf. Cic. de Off. III. 19. Gell. VII. 11. item XIV. 2. extr.

Adstipulator. Sponsores e. r. Hugo. pag. 292. Id. pag. 622.

398. Conventionales stipulationes plerumque alterius obligationis firmandae causa interponuntur, et ut poena committi possit, item novandi animo.

399. In primis vero securitatis causa alteri obliga-

(*a*) Lex Rubria (*Civil. Magaz.* II. pag. 443). Gaj. IV. 31.

(*b*) Gaj. IV. 13 et passim. Lex Rubr. ibid. pag. 448. Cic. ad fam. VII. 21.

tioni accedunt; quae res jam multiplex est, et propriis legibus determinata. Namque pro altero quisque obligare potest, qui adstipulator dicitur; et pro altero obligari, quod qui faciunt vel sponsores, vel fidepromissores, vel fidejussores appellantur.

400. Adstipulator est qui idem vel minus stipulatur, non utique iisdem verbis; et in ea obligatione multa singulari jure observantur, veluti quod ad heredes non transmittitur, nec per eum qui alieno juri subjectus est adquiri potest; ex diverso, si non is servus est neque in mancipio, sibi adquirit, si aliter quam per capitis diminutionem liberatur (*a*).

401. Utilitas adstipulatoris est, ut cum post mortem suam quisque stipulatur, is post mortem agat, et heredi mandati judicio, item lege Aquilia teneatur (*b*).

402. Sponsorum et fidepromissorum obligatio angustior est: nam alii quam verborum obligationi accedere non potest, nec facile naturali; et heredes illorum non obligantur (*c*).

403. Praeterea eos lex Furia de sponsu biennio liberat, et obligationem a pluribus contractam ipso jure dividit. Antea vero lege Apuleja adjuvabantur, qua quisque quod plus sua parte solvisset, id a reliquis pro socio actione repetere poterat; eaque cum et extra Italiam valeat, etiam nunc utilis esse potest. Leges de sponsoribus e. r. Hugo. pag. 397.

404. Alia lege jubetur creditor palam praedicere, de qua re quot sponsores vel fidepromissores accipiat, alioquin illi per praejudicium liberantur.

405. Quae omnia cessant in fidejussoribus.

(*a*) Gaj. III. 110.

(*b*) Gaj. III. 117 et 215.

(*c*) Id. III. 119 seq.

406. Sed sponsor a reliquis differt quod sponsione obligatur, id est obligatione quae propria civium Romanorum est, et ex lege Publilia actionem depensi habet contra debitorem infitiantem in duplum *(a)*, item manus injectionem si is in sex mensibus pecuniam non reddiderit. Eandem habet ex lege Furia adversus eum qui a se plus quam virilem partem exegerit *(b)*.

407. Ex diverso omnibus commune est beneficium legis Corneliae; qua lege idem pro eodem, apud eundem, eodem anno, vetatur in ampliorem summam obligari quam viginti millium, exceptis quibusdam causis, et si quis in majorem summam se obligaverit, ea lege liberatur.

408. Satis antiquas esse illas quinque leges, hujus tamen aetatis, multa indicia commonstrant *(c)*, sed de causis earum nihil Veteres memoriae prodiderunt. Id agunt omnes ut intercessoribus consulatur, utque parum debeant, ac facile liberentur, neque ex sua facilitate damnum capiant.

409. Quemadmodum porro *pro* alio quisque cum obligare tum obligari potest, ita etiam *cum* eo, quod contingit cum duo fiunt rei stipulandi vel promittendi, quo casu una est principalis obligatio a pluribus contracta, non altera principalis, altera accessionis vicem obtinens: utrum vero hoc an illud factum sit, ex verborum conceptione aestimandum est *(d)*.

QUAESTIONES.

1. Quid juvat stipulari cum obligatio jam tenet?

---

(a) Gaj. III. 127. IV. 9.

(b) Id. IV. 22.

(c) Arg. Gaj. IV. 22. et III. 121. 122. 125.

(d) Tit. I. de duob. reis. Conf. tamen L. 3. D. eod. Festus *reus*.

2. Cur adstipulator in deteriorem fere partem dicitur? Cf. Cic. pro Quintio 18. In Pison. 9. Epist. (spuria) ad Brutum ult. Horat. Serm. II. Sat. III. 17. 18.
3. Nonne et aliis rebus hoc utile esse potuit, praeter id quod Gajus nominavit?
4. Unde differentia explicanda videtur, quae inter fidejussores et reliquos qui pro alio obligantur intercedit? An fidejussio forte legis evitandae causa excogitata sit? Conf. Gaj. III. 123 extr.
5. Quid sit annalis exceptio Italici contractus, apud Justinianum in. L. 1. C. de annali except. juncta L. un. C. de usucap. transf.? An hoc ad legis Corneliae beneficium referri possit, an vero ad legem Furiam?
6. Quare debuit creditor palam praedicere?
7. Unde factum est ut reliquae leges extra Italiam valerent, lex Furia non item?
8. An leges Publilia et Cornelia eaedem significantur in L. 3. D. de aleat.
9. An foenebres leges etiam intercessores non apprehendebant, ut hi propriis legibus defendendi viderentur; aut quid causae istarum legum esse potuit contra jus civile scriptarum?

410. Literis fit obligatio per expensi lationem in nominibus transcriptitiis, duplici modo. Transcribitur a re in personam, cum quod alia ex causa mihi debes tibi expensum fero; a persona in personam, cum Titio te mihi delegante, quod ille mihi debet tibi expensum fero: quo facto civilis obligatio contrahitur (*a*). Literarum obligatio. Hugo. pag. 625.

411. Est autem expensum ferre, nomen alterius tanquam debitoris perscribere in tabulis sive codicibus ac-

(*a*) Gaj. III. 133. Leg. Savigny. in Actis Acad. Berol. Class. hist. 1816—1817.

cepti et expensi (a); cujusmodi quisque frugi paterfamilias, eosque diligenter compositos, adhuc habere solet (b).

412. Inter absentes fieri potest (c), nec tamen invito altero (d), neque sub conditione (e).

413. Chirographis et syngraphis peregrini obligantur (f).

QUAESTIONES.

1. An literarum obligatione novatio fit? Gaj. III. 130. Conf. tamen Cic. ad Att. IV. Ep. 18.
2. An quisque codices suos petente adversario edere debet? Vid. Titt. D. et C. de edendo.
3. An similes codices hodie in usu habentur? Conf. *Code de Commerce*, *art.* 8. cum Ps. Ascon. pag. 175.
4. An hodie ulla scriptura obligationem facit? Conf. Heineccii Elem. juris cambialis. Cap. III. § 6.
5. Quid interest inter chirographum et syngrapham? Vid. Ps. Ascon. pag. 184.
6. An Romani eo modo obligari non poterant?
7. Quae actio nascitur ex literarum obligatione? Vid. L. 9. D. de reb. cred. Cic. pro Rosc. Com. 4.

Consensu. Fiducia. Hugo. pag. 627. 414. Quae consensu fiunt obligationes, ut novae sunt et juris gentium, et vero Romani juris ingenio parum congruae, ita quoque ambiguae adhuc sunt nec suis partibus absolutae. Itaque emtio et venditio neque a permutatione, neque a locatione et conductione satis

(a) Cic. pro Roscio Com. 5.
(b) Ibid. 3. Ps. Ascon. Orelli II. p. 175.
(c) Gaj. III. 138.
(d) Cic. l. c. Cap. 1. Val. Maxim. VIII. 2.
(e) Vatic. § 329.
(f) Gaj. III. 134. Ps. Ascon. pag. 184. Cic. de legg. III. 8. Pro Murena. 17.

discerni potest (*a*). De evictione et de vitiis stipulationibus cavetur; de his etiam copiose edicto aedilium (*b*). In societate quoque et in mandato multa incerta sunt (*c*), praeterquam quod pleraque civilia negotia per procuratorem geri non possunt.

415. Inter species autem tralatitias occurrit fiducia (*d*), quae in multis juris partibus usurpatur, sed Justiniani tempore cessaverat, ideoque minus hodie cognoscitur.

416. Non tantum in his contractibus subtilis disputatio est de dolo et culpa, quae jam informari coepit (*e*); et ex edicto praetoris saepe infamia (*f*).

417. Sed hoc habent proprium, quod utique ultro citroque obligatio est, eaque ex bono et aequo aestimatur (*g*), sive ex fide bona, quae res apud Romanos latissime manat (*h*).

418. Ut obligatio quasi contraxissent nascatur ubi nullum inter eos negotium contrahitur, nunc creberrime contingit (*i*), et species jam plures sunt quam eo nomine in ***Institutionibus*** referuntur.

419. Exemplo sunt obligationes ex lege Apuleja, Pu-

(*a*) Gaj. III. 140. seq.

(*b*) Varro. de re rust. II. 2. 3. Cic. de Off. III. 17. Gell. IV. 2. Tit. D. de aedil. edicto.

(*c*) Gaj. I. c. Auct. ad Herenn. II. 13.

(*d*) Cic. de Off. III. 15. 17. Pro Flacco 21. Gaj. IV. 62. Paul. II. 13.

(*e*) L. 5. § 2. D. commod. L. 1. § 1. D. de dolo. Cic. pro Roscio Amer. 38 et 39.

(*f*) L. 1. D. de his qui notantur infam. Cf. Tab. Heracl. Sect. 8.

(*g*) Gaj. III. 137.

(*h*) Cic. de Off. I. c. L. 54. D. mand. L. 31, § 20. D. de aedil. edicto. L. 1. D. de leg. Rhodia.

(*i*) Cic. Topic. 17.

blilia, aliave; item obligatio judicati, mariti qui dotem debet, cet. Non etiam litis contestatio (*a*), neque alendi officium, neque lex Rhodia.

420. Ex quibus causis infitiando lis crescit cessat indebiti soluti repetitio.

## Quaestiones.

1. Quae singularia sunt cum ex emto et vendito dominium transfertur per traditionem, et cum pro emtore usucapitur, unde oriri potuerunt?
2. Quo modo est a Jureconsultis reticentiae poena constituta? Cf. Cic. de Offic. III. 16.
3. An et edictum aedilium ampliarunt?
4. Cur aediles praecipue de mancipiis edixerunt?
5. An fiducia recte pactum appellatur? Cur pignori a latere ire solet? Cur una evanuit? Conf. Paul. II. XIII. 5.
6. Unde fit ut in his negotiis tam multa appareant moralia, multo magis quam in reliquis juris partibus, angustis fere et acerbis? Cf. Cic. de Off. III. 17.
7. De culpa locus an hodie satis illustratus et patefactus est a peritis?
8. An contrario judicio damnatus quandoque famosus est?
9. An propter negligentiam damnatus?
10. Cur in quibusdam causis transactio infamiam parit, in aliis non item?
11. Quid sibi vult in tabula Heracleënsi in jure abjurare, bonamque copiam jurare? Conf. Servius ad Virgil. Aeneid. VIII. vs. 264. Varro de L.L. VI. 5. extr. Cic. ad fam. IX. 16. Festus *ejuratio*.
12. Cum dicitur *quasi* ex contractu in L. 5. D. de obl. et

(*a*) De litis contestatione passim consule *Keller. Ueber Litis Contestation und Urtheil. Zürich.* 1828. Sed adde *Mayer. Die Litis Contestatio geschichtlich dargestellt. Stuttgart* 1830.

act. uum id ad singulas species contractuum, an vero ad genus obligationum referendum est? Holtius. *Civ. Magaz.* VI. III. 17.

13. Quare cessat repetitio ubi infitiando lis crescit? Cf. Paul. I. 19 extr. et I. I. 5.

421. Solvuntur nunc obligationes non tantum jure civili, sed etiam naturaliter. Nam si res nec mancipi debetur, veluti signata pecunia, sufficit sine dubio naturalis solutio (*a*); nec tamen in solutum datio (*b*). Civiliter autem verborum obligatio tollitur acceptilatione; sed haec angusta est, cum nec diem neque conditionem recipiat, nec pro parte fieri possit, neque a muliere sine tutoris auctoritate (*c*). Solutio. Novatio. Reliq. Hugo. pag. 635.

422. Item per aes et libram etiam nunc solvitur: quod eodem modo gestum est, et quod ex judicati causa debetur, vel ex testamento, si certum sit ac pondere numerove consistens (*d*).

423. Novatione quoque tollitur obligatio, quod multis modis contingit, sed de cujusque effectu non constat (*e*).

424. Cum novatione comparari potest litis contestatio in legitimo judicio, quippe quae obligationem ipso jure perimit; nec tamen qui obligatus erat teneri desinit (*f*).

425. Adhuc jure civili tollitur per confusionem (quae non unice per hereditatem contingit), et in jure cessione hereditatis (*g*).

426. Praeterea obligationes quae consensu fiunt, na-

(*a*) Gaj. II. 85, 213 et 214.
(*b*) Id. III. 168.
(*c*) Id. III. 172. Vatic. § 329. L. 77. D. de reg. jur.
(*d*) Id. III. 173 seq. Cic. de legg. II. 20 et 21.
(*e*) Id. III. 176 seq.
(*f*) Id. III. 180 seq. L. 29. D. de novatt.
(*g*) Conf. supra 153.

turaliter contrario consensu tolluntur, re integra, nonnullae etiam morte.

427. Rei interitu, et propter causam lucrativam, naturaliter quoque liberatio contingit.

428. Postremo saepe accidit ut quis ipso jure non liberetur, sed jure praetorio se exceptione, velut doli mali, defendere possit *(a)*.

### Quaestiones.

1. Quare solvitur per aes et libram quod ex judicati causa debetur?
2. Quare quod ex testamento, nec tamen quoties ex testamento debetur?
3. An solvitur obligatio facti praestatione, ipso jure?
4. Cum res mancipi debetur, an traditione solvitur? Gaj. IV. 131. L. 27. D. de solutt. Gaj. II. 214.
5. An litis contestatione obligatio introducitur? Cf. Gaj. IV. 2. cum III. 180. Nec obstat L. 3. § 11. D. de peculio.
6. Ex qua ratione tollit obligationem rei interitus? Ex qua causa lucrativa? Cf. L. 23. L. 83. § 6. D. de verb. obl. L. 17. D. de obl. et act.

Maleficia. Lex Aquilia. Hugo. pag. 637.

429. Obligationes ex delicto quoque nunc jure praetorio cum mutationes tum incrementa acceperunt. Nam furti manifesti poena quadruplum esse coepit, quapropter latius nunc patet eius interpretatio, et accesserunt actiones prohibiti et non exhibiti *(b)*.

430. Item praetor Lucullus instituit propriam actionem vi bonorum raptorum, quae vis et ipsa furti species est *(c)*.

(a) Gaj. III. 168. L. 34. § 1. D. de obl. et act.

(b) Id. III. 189. 192. et § 4. I. de obl. quae ex delicto.

(c) Cic. pro Tullio. p. 100. j. L. 2. D. Vi bon. rapt. Gaj. III. 209 et IV. 8. Vid. praeterea Titt. D. XLVII. 4. seq. ad 9.

431. Injuriarum quoque causam penitus immutavit, nam cum legis poenae tempore inutiles factae essent, injuriam pecunia aestimare permisit, quam judex temperat; atrocem tamen, puta in theatro factam, primum aestimat ipse *(a)*.

432. Praeterea praetor, et item aediles, publicae utilitatis causa, veluti jurisdictionis suae defendendae causa *(b)*, et propter viarum tutelam *(c)*, plurima introduxerunt poenalia judicia, in quibus nonnulla etiam popularia.

433. Sed et jure civili magna conversio facta est lege Aquilia de damno injuria dato, quae legem duodecim tabularum abrogavit. Ex ea lege aestimatur quanti eo anno vel in diebus triginta proximis plurimi fuerit, et crescit actio in duplum adversus infitiantem, perinde ac si damnatus judicatusve jam esset *(d)*.

434. Eandem legem satis antiquam esse *(e)* multa indicant, nec tamen de certo temporis momento conjecturam capere licet, nisi ex Theophilo, qui secessionis tempore eam factam esse dicit, nec porro alia secessio intelligi potest quam quae in Janiculum anno 467. contigisse traditur *(f)*.

435. Ceterum et haec res incrementum cepit jure praetorio. Nam cum post bella civilia nova coërcitione

*(a)* Id. III. 224.

*(b)* Tit. D. Si quis jus dicenti.

*(c)* Tit. D. de his qui effud. L. 40 seq. D. de aedil. edicto. Tab. Heracl. vs. 43. (Hugo. p. 358.)

*(d)* Gaj. III. 210 seq. Tit. D. de lege Aquil.

*(e)* Cic. pro Tullio l. c. Conf. sermo legis in L. 2 tit. cit. cum simili in Tabula Heracl.

*(f)* Theoph. ad § 15. I. de lege Aquil. Schol. Basil. VII. pag. 66. Plin. Nat. Hist. XVI. 15.

opus esse videretur, Lucullus, ut de furto violento, ita de damno a cujusque familia vi facto, hominibus armatis coactisve, proprium judicium quadrupli instituit (*a*).

QUAESTIONES.

1. Quo modo potuit praetor salva ratione juris civilis furti manifesti poenam mutare? Quo modo poenas injuriarum? Conf. Gell. XX. 1.
2. Quaenam est necessitudo inter legis Aquiliae caput secundum et reliqua?
3. Cur alia delicta quam illa quatuor in Institutionibus non proponuntur?

436. Postremo multae leges sunt (quarum memoria hodie non exstat), cum poenali sanctione scriptae, quarum poenae privato judicio persequendae sunt. Exempla sunt plura in tabula Heracleënsi.

Tabula Heracleënsis.

437. Illa tabula Heracleënsis, cujus jam supra mentio facta est, duobus fragmentis constat 1732. et 1735. detectis, quorum alterum aes Neapolitanum, alterum aes Brittannicum inter viros doctos appellatur. Scriptura ejus legis partem refert, qua de tutela viarum in urbe Roma agitur; item de senatu deque magistratibus municipalibus, et in principio de frumenti dispensatione. Nomen habet a civitate Heraclea, cujus Ψηφισμα in converso legitur, et in cujus regione aes Neapolitanum inventum est prope sinum Tarentinum (*b*).

(*a*) Cic. pro Tullio. l. c. L. 2. D. cit. Leg. Cramer ad h. l. Savigny. *Zeitschr.* V. 1. pag. 123.

(*b*) Vid. Fragmentum legis Romanae in aversa tabulae Heracleënsis parte. Notis criticis et commentario illustravit G. T. L. Marezoll. Gött. 1816. Item Observationes ad Tabulae Heracleënsis partem alteram, quae vulgo aeris Nea-

438. Quasi ex delicto obligationes pleraeque jure praetorio introductae sunt, quae species ab obligationibus ex delicto non inutiliter separantur, propter differentiam quae in noxae deditione posita est.

QUAESTIONES.

1. Quid commodi habet, quidve incommodi illud Romanorum institutum actionum popularium, prae vindicta publica?
2. Quae circiter aetas esse videtur illius legis quae in Tabula Heracleënsi ex parte superest? Vide Marezoll. pag. 76. Dirksen. *Civil. Abhandl.* II. pag. 145. Contra Savigny. l. c. p. 343.
3. Quare cessat noxae deditio ubi quasi ex delicto agitur? An haec differentia perpetua est. Suntne aliae praeterea diversitates?
4. Quasi ex delicto obligationes suntne plures? suntne quaedam vere ex delicto natae?

## SECTIO IV. DE ACTIONIBUS.

439. Hac aetate, non quidem subito, sed sensim atque per gradus, formulae sive concepta verba legis actionibus successerunt. Legisactiones. Novae species. Relaxatio. Hugo. pag. 315.

440. Primum in sacramento mutatio accidit; quod jam ex jure manum consertum vocant, idque dicis causa fieri potest (*a*); neque pecunia deponitur, sed praedes pro ea praetori se obligant (*b*).

politani nomine venit, auctore H. E. Dirksen Professore Regiomontano. Berol. 1817. In primis vero Savigny. Zeitschr. IX. 3.

(*a*) Cic. pro Murena. 12. pro Caec. 7. Gell. XX. 10.

(*b*) Gaj. IV. 16.

441. Deinde auctae quidem sunt legis actiones, sed auctae tum commodiori genere, tum speciebus multis multo mitioribus.

442. Commodius genus agendi fuisse videtur per condictionem, quod lege Silia introductum est, ut certae pecuniae, deinde Calpurnia, ut de omni certa re, hoc modo ageretur. Nomen ex eo habet quod actor adversario denunciabat, ut ad judicem capiundum die trigesimo adesset (*a*).

443. De aetate legum illarum non constat. Non sine causa eas lege Hortensia de plebiscitis (anno 467.) seriores esse putant (*b*).

444. Porro simile quid in sacramento quoque effectum erat lege Pinaria (*c*), quam fortasse L. Pinarius anno 404. praetor tulit (*d*).

445. Manus injectio primum novis legibus ex aliis causis data est, eaque pro judicato cum prisca legum duodecim tabularum severitate: sed deinde aliis legibus, veluti Furia testamentaria et Marcia, introducta est mitior quae *pura* appellabatur, in qua reo manum depellere, et pro se lege agere licebat. Imo lege Valeria (?) manus injectio non pura ad duas tantum causas, judicati atque depensi, redacta est.

446. Item lege .... toria pignoris captio publicanis adversus vectigalium debitores data est, eaque species perstitisse videtur (*e*).

(*a*) Id. IV. 18.

(*b*) Arg. Liv. IV. 54. Festus *publica pondera*. Conf. Ruperti tabulae genealog. Gött. 1794.

(*c*) Gaj. IV. 15. Conf. tamen Heffter. Gaji Instit. comment. quart. Berol. 1827. pag. VIII et 10.

(*d*) Anton. August. de famil. Romanis, in Graev. Thes. Antiq. VII. 1258.

(*e*) Cic. in Verr. Lib. III. Cap. 11.

447. Interim tamen legis actiones propter nimiam juris conditorum subtilitatem paulatim in odium venerunt, aliusque litigandi modus per concepta verba sive per formulas (in quibus tamen primum legis actiones fingebantur), invaluit, donec tandem lege Aebutia hoc genus agendi magna ex parte (*a*) tolleretur.

448. Annus quo lex ista lata sit nullus adsignari potest, sed satis recentem eam esse in hac aetate, credibile est (*b*).

### Quaestiones.

1. Quid differt judicis postulatio a sacramento et a condictione?
2. Qua ratione potuit ex legis actione fieri formula? Conf. Everardi Dupont Disquisitiones: pag. 47 et 51.
3. Cur duravit pignoris capio in vectigalium causis potius quam in aliis?
4. Quî potest intelligi ut in publici judicii causa sacramento ageretur? Conf. Heffter. pag. 7.
5. Quare legibus opus esse visum est ad legis actiones tollendas?
6. Quo modo potuit ex una eademque lege et formula esse, et legis actio dari, ut fit ex lege Publilia? Conf. supra 406.

449. Formulae autem quae nunc successerunt tam jure civili (*c*) quam praetorio (*d*) introductae sunt, et a legis actionibus multum differunt. Nam 1°. verbis tantum constant, non actu et verbis. 2°. Species sunt, Formulae. Hugo. pag. 639.

(*a*) Gell. XVI. 10. Gaj. IV. 30. Cic. l. c. pro Caec. 33. pro Domo 29. In primis vide legis Serviliae Cap. VIII vs. 23. ed. Klenze. Berol. 1825.

(*b*) Vid. Heffter. pag. 23.

(*c*) Cic. de legg. I. 4 extr.

(*d*) Cic. pro Roscio Comoed. 8. Gaj. IV. 11. Cic. pro Tullio. p. 100.

illis sequitur condemnatio, veluti: si paret Titium deposuisse — nec reddidisse — judex condemnato.

456. Differentia est, quod cum in factum concepta formula agitur nunquam obligatio ipso jure tollitur *(a)*; item quod in tali formula falsa demonstratio nocere potest *(b)*, et quod in factum actione etiam filiusfam. agere potest *(c)*.

457. Alia formularum divisio est, qua quaedam fictionem continent, quaedam sua vi ac potestate valent. In illis autem legis actio fingitur, aut qualitas juris civilis in eo qui ceteroquin jure civili agere vel conveniri non posset, cujusmodi etiam actiones utiles appellantur, ac distinguuntur a directis *(d)*.

458. Ex his quae supra scripta sunt jam definiri poterit quid nunc sit actio. Agere in jure civili is dicitur qui jus suum persequitur, estque igitur actio juris cujusque persecutio, itaque communiter *(e)*; proprie vero actio est cum judicio et per formulam agitur, unde *actio* et *judicium*, adeo *formula* quoque, saepe promiscue vocabula usurpantur *(f)*. **Actio.** **Hugo. pag. 640.**

459. Actionum divisiones multae multaeque propositae sunt, quas omnes enarrare necesse non est. Primaria est vulgaris illa, qua vel in rem agitur vel in personam. In rem autem duplici modo agitur, aut per sponsionem, qui modus agendi ad jus antiquum propius accedit, et cum lege agitur in causa centumvi-

*(a)* Gaj. III. 181. IV. 107.

*(b)* Id. IV. 60.

*(c)* L. 13. D. de obl. et act.

*(d)* Gaj. IV. 10, et 32, 38. Id II. 253. Cic. Verr. Lib. II. C. 12.

*(e)* Conf. L. 37. D. de obl. et act. cum L. 28 et 51. eod Gaj. I. 8. IV. 11.

*(f)* Conf. Gaj. IV. 10 cum § 33. Id. II. 213. L. 1. § 1. D. de dolo. Cic. de Offic. III. 14.

rali lex (Crepereia, Papiria, Calpurnia?) summam sponsionis definit; aut per formulam petitoriam, quae est vera in rem actio, qua actor intendit rem suam esse (*a*). In personam agitur, cum dari fieri oportere intendimus. Sed haec divisio omnes actiones comprehendere non videtur, cum non omnes talem intentionem habeant (*b*). De reliquis actionum divisionibus infra commodius agetur.

Quaestiones.

1. Num in formularum instituto quod nunc invaluit humanitatis incrementa cernuntur? Vid. Cic. de Offic. III. 15 et 17. L. 76. D. pro socio. L. 17 et 18. D. judic. solvi.
2. An omnes ad unam formulae in albo perscriptae erant? Conf. Gaj. IV. 46 et 118.
3. Formula in factum concepta estne idem quod actio in factum in Digestis? Vid. Gaj. IV. 107. L. 11. f. D. de dolo. L. 25. § 1. f. D. de obl. et act. coll. Gaj. IV. 46.
4. Quid igitur est civilis actio in factum in L. 1. D. praescr. verbis? Conf. L. 11. eod. L. 42. § 1. D. de obl. et act.
5. Quid porro sit actio praescriptis verbis in L. 2. eod. et passim?
6. Cur filiusfam. formula in jus concepta uti non potest?
7. Quid refert an sua vi ac potestate actio constet necne?
8. Quid differunt *actio, persecutio, querela, accusatio, praejudicium?*

Cognitor. Procurator, reliqui. Hugo. pag. 658. 460. Nunc universe licet agere per alios, idque bifariam. 1°. Per cognitores. 2°. Per procuratores, quibus

(*a*) Gaj. IV. 91 seq.
(*b*) Id. IV. 5.

tutores et curatores adsimilantur. Inter quae duo genera magna est differentia.

461. Cognitor enim nonnisi in litem datur, certis verbis, praesente adversario, item pure; procurator vero qualicunque mandato dari potest *(a)*.

462. Ex diverso cognitor loco domini est, non procurator; unde saepe hic satisdare tenetur ubi ille non satisdat *(b)*, et cognitore agente datur actio judicati domino vel in dominum; procuratore vero agente procuratori et in eum datur *(c)*. Consequens est, ut mulier sine tutoris auctoritate cognitorem facere non possit.

463. Quoquo tamen modo agatur, intentio ex persona domini sumitur, condemnatio autem in personam ejus qui agit vel quocum agitur convertitur *(d)*.

464. Qui alieno nomine agere possint, edicto praetoris definitum est *(e)*.

## Quaestiones.

1. Cur pro alio agens cognitor appellatur? Conf. Cic. in Verrem Lib. II. Cap. 43. Ibid. I. 5. pro Caec. 5. Ps. Ascon. Orell. p. 104.
2. Qui pro alio agebat libertatis causa quo nomine appellabatur? Vatic. l. c.
3. Quare tam strictum est jus cognitoris? Cur uno genere contenti non fuerunt Romani?
4. Si in cognitoris persona condemnatio fit, quî potest actio judicati ad dominum pertinere?

---

(a) Gaj. IV. 82 seq. Festus *cognitor*. Vatic. § 329.

(b) Id. IV. 97 et 98.

(c) Cic. pro Rosc. Com. 17. Gaj. IV. 83 seq. Vatic. § 317. L. 7. Theod. C. de cogn. et proc.

(d) Gaj. IV. 86.

(e) Vatic. § 323. Gaj. IV. 124. § ult. I. de exceptt.

5. An mulier agere potest? An alieno nomine? Ulp. XI. 27. §. ult. I. de exceptt.
6. Num quae affinitas intercedit inter edictum de postulando, atque edictum cognitorium? Conf. Titt. D. de postul. et de his qui not infam.

Satisdatio. Hugo. pag. 659.

465. Ex quibusdam causis qui agunt, et quibuscum agitur, satisdare debent, per sponsores, quae res a duodecim tabulis repeti potest (*a*), nunc vero regitur edicto praetoris.

466. Qui in rem agit non satisdat, neque cognitor ejus, sed procurator satisdare debet dominum rem ratam habiturum; periculum enim est ne iterum dominus de eadem re experiatur (*b*). Ex diverso is quocum in rem agitur, sive suo nomine judicium accipiat sive alieno, quia interim possidet, satisdare debet, aut pro praede litis et vindiciarum, aut judicatum solvi (*c*).

467. In personam cum agitur communiter neuter satisdat, excepta defensione rei alienae, quo casu dominus cognitore interveniente, procurator ipse, satisdare jubentur. Item propter genus actionis, et propter personam quia suspecta est, ab eo qui judicium accipit judicatum solvi satisdatio exigitur, quas causas praetor nominatim in edicto significat (*d*).

## Quaestiones.

1. Satisdationes pro praede litis et vindiciarum atque judicatum solvi quid differunt? Vid. Gaj. IV. 16. L. 6. D. judic. solvi.

(*a*) Gaj. IV. 16 et 91. Vatic. § 333.

(*b*) Supra 462. Id. IV. 98.

(*c*) Id. l. c. Cic. in Verrem Lib. I. Cap. 45.

(*d*) Gaj. IV. 25 et 101 seq. Vatic. l. c. Arg. § 1. I. de satisdatt. Cic. pro Quintio. 7. Conf. quoque interpol. L. 10. D. judic. solvi.

2. Cum cognitorio nomine agitur cur satisdat dominus, qui tamen si cum ipso ageretur non satisdaret? Vid. Vatic. § 317. *quae satisdatio* e. r.
3. An dominus pro procuratore suo spondere non potest? Conf. L. 24. D. de pactis. § 4. I. de satisdatt.
4. Quare genus actionis locum facit satisdationibus? Conf. Gaj. IV. 25.
5. Quid sibi vult apud Gajum.: *qui decoxerit?* Vid. Cicero. Philipp. II. Cap. 18.
6. Quid illud: *quem praetor suspectum aestimaverit?* Vatic. § 324.

468. Uti actiones et formulae, ita quoque judicia divisionem recipiunt. Nam vel legitima sunt, vel imperio continentur. Legitima sunt in quibus legis forma observatur, quae exigit ut in urbe Roma, inter cives Romanos, sub uno judice accipiantur (*a*), sive actio ex praetoris edicto detur, sive ex lege aliove juris fonte substantiam capiat (*b*). Imperio contineri dicuntur in quibus horum aliquid non observatur. Judicia. Hugo. pag. 660.

469. Quod posterius genus sine dubio minus est efficax. Nam et imperio dantis terminatur (*c*), nec unquam obligationis perimendae vim, neque dominii conferendi (*d*) ipso jure habet. Ex diverso mulier eo judicio sine tutore experiri potest (*e*).

QUAESTIONES.

1. Quae lex intelligenda sit a qua legitima judicia nomi-

(*a*) Gaj. IV. 103 seq. Conf. Cicero pro Rosc. Com. 5.

(*b*) Id. IV. 109.

(*c*) Id. IV. 105 seq. Juvenal. XVI vs. 42. L. 13. § 1. D. de jurisdict. Conf. L. 49. § 1. D. de judic.

(*d*) Vatic. § 47.

(*e*) Arg. Ulp. XI. 27 et 24. Gaj. I. 184.

nantur: an Aebutia et Julia judiciaria? (Conf. Heffter. l. c. pag. 20 et 97.). An vero lex duodecim tabularum?

2. An tempore legitimo jam finiuntur? Conf. Gaj. IV. 104. Cic. pro Quintio. 8.
3. »Extra primum urbis Romae miliarium" an judicia aguntur? Conf. Auctor ad Herenn. II. 13. cum L. 59. D. de judic.
4. Quae imperio continentur judicia quo modo exstiterunt?
5. Quare eamdem vim non habent atque legitima?
6. Quo modo supplenda videtur Gaji scriptura. III. 83 extr.? Item IV. 80? Vid. Heffter. pag. 99 et XXXV. in adnot.
7. Ut legitimum judicium vim habeat actionis perimendae ipso jure, cur necesse est ut in personam formulaque in jus concepta agatur?

470. Uti judicia quae imperio continentur intra certum tempus peragenda sunt, ita quoque actiones honorariae, quae non jus civile imitantur, intra certum tempus petendae sunt (*a*). Ceterae vero actiones perpetuo solent accommodari.

471. Heredibus tamen atque in herêdes tam praetoriae actiones dantur quam civiles, paucis exceptis, si non poenales sunt (*b*).

### Quaestiones.

1. Cur breviori tempore dantur actiones honorariae?
2. Praetoriae actiones cur fere annuae sunt?
3. Quid existimandum videtur de causa apud Justinianum relata pr. I. de perpet. et temp. act: *nam et ipsius praetoris* c. r.?

(*a*) Gaj. IV. 110 seq.
(*b*) Id. IV. 112 et 113.

472. Exceptiones nunc, quoties legis actione non agitur, in usu habentur; quae res praetoris jurisdictione introducta est, etsi ex legibus quoque substantiam capere dicuntur, cujusmodi est exceptio legis Cinciae (*a*). Exceptiones. Praescriptiones. Hugo. pag. 664 et 666.

473. Easque alias in edicto propositas habet, alias causa cognita accommodat (*b*). Item genus exceptionum est in factum (*c*).

474. Sunt autem exceptiones solennes clausulae, quae formulis ea mente interponuntur, ut judici conditionalem tantum faciant condemnandi potestatem. Quod plerumque iniquitatis evitandae causa usurpatur (*d*).

475. Oppositae igitur actionem impediunt: vel perpetuo, quae peremtoriae, vel ad tempus, quae dilatoriae exceptiones appellantur, quarum plures quia judicium jam fuit, aut propter personas agentium competunt (*e*).

476. Peremtoria non opposita, praetor succurrit.

477. Nominantur cum exceptionibus praescriptiones et praejudicia (*f*). Sane praescriptiones quae pro reo competunt, ex quo genere est si quis praejudicium fieri objiciat, jam in exceptiones abierunt (*g*).

478. Ex diverso praescriptiones quae pro actore competunt durarunt, quarum vis est ne universum quod peti potest cum damno actoris in judicium deducatur:

(*a*) Vatic. § 266 et 310. Vid. quoque lex Rubria, initio (apud Hugon. pag. 438). L. 7. f. D. de exceptt. j. Plauto Rud. V. III. 24.

(*b*) Gaj. IV. 118.

(*c*) § 1 I. de exceptt. Vatic. § 310. L. pen. D. eod.

(*d*) L. 2. L. 22. D. de exceptt. Gaj. l. c. seq.

(*e*) Gaj. l. c.

(*f*) Rubrica Dig. de exceptt. e. r.

(*g*) Gaj. IV. 133. Cic. de Invent. II. 20. L. ult. C. de hered. petit. L. 5. f. D. eod.

quocirca ante formulam praeponitur clausula: EA RES AGATUR et reliqua; quandoque tamen in formula demonstrationi adjungitur (a).

QUAESTIONES.

1. Quae fuerit exceptionum origo?
2. An cernitur in hoc instituto humanitatis progressio?
3. An praescriptiones quoque jure praetorio introductae sunt?
4. Quid differt praescriptio pro reo interposita ab exceptione, et quo modo potuit facile in exceptionem abire?
5. Cur longae possessionis praescriptio exceptio non appellatur? Heffter. p. 112.
6. Cur hereditati praejudicium fieri non debet? L. 54. D. de judic. L. 21. D. h. t.
7. Cur aliter praescribit qui cum sponsore, aliter qui cum fidejussore agit? Conf. Gaj. III. 119.

Interdicta. Hugo. pag. 668. 479. Est alia verborum conceptio quae interdictum appellatur, qua praetor utitur cum finiendae controversiae principaliter auctoritatem suam interponit, quod tum maxime facit cum de possessione contenditur (b). Cum jubet vel praecipit proprie decretum vocatur.

480. Si interdicto vel decreto non paretur locus est judicio, in quo quaeritur an aliquid adversus praetoris edictum factum sit, vel an factum non sit quod is fieri jusserit: quod aut poenale est aut arbitrarium (c), quodque stipulationes aliaque judicia sequuntur, secundum naturam interdictorum, quae vel prohibitoria sunt, vel restitutoria, vel exhibitoria, illaque vel sim-

(a) Gaj. IV. 130 seq. Cic. de Orat. I. 37. de Fin. II. 1.
(b) Id. IV. 139 seq.
(c) Cic. pro Tullio. pag. 108 extr. Conf. id. pro Caec. 8.

plicia vel duplicia (*a*). Nam secundum has differentias alia atque alia est litigatio.

481. Possessoria autem interdicta vel adipiscendae, vel retinendae, vel recuperandae possessionis causa comparata sunt: quorum haec saepius, illa semel duntaxat utilia sunt.

482. In quo genere nunc habentur interdictum possessorium quod bonorum emtori, et sectorium quod sectoribus propositum est.

483. Inter retinendae possessionis interdicta magna differentia est. Nam in UTRUBI interdicto, quod de rerum mobilium possessione reddi solet, uter majori parte anni retrorsus numerandi possederit, quaeritur, et locus est accessionibus possessionis; id quod in UTI POSSIDETIS interdicto secus est.

484. Recuperandae possessionis interdicto UNDE VI, quod satis antiquum est, post bella civilia, propter temporum iniquitatem, additum est alterum de vi armatis hominibus, quo injusta vis efficacius coërcetur (*b*).

### Quaestiones.

1. Quae est vera natura interdictorum? An ex obligatione ex maleficio oriuntur, saltem quae de possessione redduntur? Vid. *Savigny. Vom Recht des Besitzes.* pag. 32. Rudorff. *Zeitschrift.* VII. pag. 90. Conf. L. 37. pr. D. de obl. et act. L. 1. § 3. D. de interd. L. 1. § 14 f. D. de vi.
2. Numquae similia in jure Romano occurrunt quae ad interdicta non referuntur? Conf. L. 8. D. de edendo.
3. Quid interest inter simplicia interdicta atque dupli-

(*a*) Conf. Cic. de republ. I. 13.

(*b*) Cic. pro Tullio. pag. 107. Pro Caecina l. c. et 32. Ad famil. XV. 16. Gaj. IV. 155.

cia? Conf. Gaj. IV. 160, 163: *cal. judic.* et 175. Zimmern. § 74.

4. Quid refert utrum interdictum retinendae, an recuperandae possessionis causa comparatum sit? Gaj. IV. 165 et 169.
5. An Cicero pro Caecina bonam causam defendebat? Vid. Cras. Dissertatio qua specimen jurisprudentiae Ciceronianae exhibetur. Lugd. Batav. 1769. Conf. Savigny: § 40. pag. 511.
6. Utrumne possidebat Caecina? an attinebat possidere eum? Conf. maxime Orat. pro Tullio, pag. 107. L. 23. D. de adq. poss.
7. An constat interdictum de vi, et de vi armatis hominibus unum idemque interdictum fuisse? Conf. Savigny. l. c. Huschke. Anal. lit. Lips. 1826. Holtius. *Bijdr.* VII. 1.
8. An legendum apud Ciceronem l. c. *propter usum fructum*, an *per colonum*; an illud delendum? Conf. C. 7. med.
9. Qualis est interdictorum distinctio apud Ausonium: *Gryphus Ternarii numeri*, vsu 63?

Temeraria litigatio. Hugo. pag. 675.

485. Qui agunt, quique judicium accipiunt, id saepe calumniae causa faciunt, eaque res nunc maxime praetorio jure pluribus modis coërcetur (*a*).

486. Eum enim quocum agitur aut natura judicii coërcet (quod vel crescit infitiatione, vel ab initio pluris quam simpli, vel turpe est), aut sponsio tertiae vel dimidiae partis, aut si horum nihil interveniat, jusjurandum calumniae.

487. Actoris vero calumnia praeter jusjurandum, ac restipulationem ex certis causis, coërcetur calumniae

(*a*) Vid. Gaj. IV. 171 seq.

judicio (*a*), et quod contrarium appellatur: inter quae judicia magna est differentia.

488. Contrarium enim, perinde atque restipulatio, nonnisi ex certis causis locum habet reo periculosioribus, estque decimae partis vel quintae, neque in eo quaeritur utrum actor vexandi gratia actionem instituat.

489. Calumniae vero adversus omnes actiones datur decimae partis (*b*), aut quartae adversus interdicta.

490. Inter coërcitiones illas electio datur, sed una electa reliquae cessant.

### Quaestiones.

1. Cur de impensis nihil praecipitur in jure Romano, cum tamen sine sumtu non litigaretur? Conf. L. 1. D. de inoff. test. § 1. f. I. de poena tem. litig. L. 1. § 1. D. de excus. mun. L. 79. D. de judic.
2. Jusjurandum de calumnia an utile erat?
3. Quare tam multis coërcitionibus adversus litigandi temeritatem utebantur Romani?
4. Num hoc instituto prudentia Romanorum illustratur?
5. An probabile est, quod Theophilus significat, calumniae actionem institui demum solere principali peracta? Vid. Theoph. ad § 1. cit. Zimmern. § 180.

491. Cum de formulis et judiciis agitur, non male quoque dici videtur de officio judicis: hoc enim formulae conceptione et natura cujusque judicii determinatur. •

Officium judicis. Bonae fidei judicia. Hugo. pag. 649.

492. Quid enim judicem facere oporteat formulae verba demonstrant (*c*), sed generaliter; multum autem refert bonae fidei judicium sit an stricti juris.

(*a*) Consult. vet. Jurecons. Cap. 6. Conf. L. 13. D. de testibus.

(*b*) Cons. l. c. et § 1. I. de poena tem. litig.

(*c*) Conf. Gaj. IV. 63 extr.

493. Bonae fidei est, cum in formula est: EX FIDE BONA *(a)* (quod etiam cum ex stipulatu agitur contingere potest) *(b)*, quae verba judici latissimam conferunt potestatem: nam, praeter ea quae ante (sect. 417.) indigitavimus, alia habet praecipua nunc demonstranda.

494. 1°. Exceptiones judicio ipso jure insunt *(c)*. 2°. Propter moram usurae condemnantur *(d)*. 3°. Fructus in judicio veniunt etiam ante litis contestationem percepti *(e)*. 3°. Ipso jure compensationi locus est *(f)*. 5°. Bonae fidei judicia absolutoria sunt *(g)*.

495. Quae omnia alia sunt in strictis judiciis, in quibus nec per exceptionem compensatio opponi potest *(h)*.

496. Attamen alia causa est illius actionis qua argentarius experitur: is enim compensationem intentione comprehendere debet, quod nisi faciat, quasi plus petens rem perdit *(i)*.

497. Compensationi quodammodo similis est, sed pinguior, deductio, quae ad bonorum emtorem pertinere videtur, quaeque non in intentione, sed ad condemnationem ponitur *(k)*.

---

*(a)* Cic. de Off. III. 15, 16, 17. Gaj. IV. 47.

*(b)* Lex Rubria. Cap. 25. (apud Hugon. pag. 444.) Conf. L. 31. D. de recept. L. 6. L. 19. D. judic. solvi. Cic. Top. 17.

*(c)* L. 7 § 6. D. de pactis. L. 3. D. de resc. vend.

*(d)* L. 24. D. depositi. L. 32. § 2. D. de usur. Gaj. II. 280. L. 22. D. de donatt.

*(e)* L. 3. § 1. L. 38. § 15. de usur. Conf. § 7. eod.

*(f)* Gaj. IV. 63.

*(g)* Id. IV. 114. Conf. III. 180.

*(h)* § 30. I. de actt.

*(i)* Gaj. l. c. seq.

*(k)* Id. l. c.

QUAESTIONES.

1. An compensatio in bonae fidei judiciis etiam non ex eadem causa locum habet? Gaj. IV. 61. (*'eadem'*). § 39. I. de actt. Sed vide § 30. eod. et Paul. II. V. 3. Conf. Hartter. *Das röm. deutsche Recht der Kompensation. München* 1837. pag. 16.
2. Quae possit esse illa actio *qua argentarius experitur?* potestne et causa inveniri cur tam singulari jure utatur? Conf. Plaut. Curcul. IV. II. 23. L. 4. L. 10. D. de edendo. Gaj. IV. 126. Epist. ad Brut. ult.

   De argentariis ac nummulariis (post Hubert. in Thesauro Dissert. Belgic.) scripserunt novissime Almendingen: *Ueber Urkundenedition und Argentarien* in *Grolman und Löhr. N. Magazin* I. pag. 281. Kraut. de argentariis et nummulariis commentatio. Götting. 1826.
3. An in eo quoque eadem causa esse debet?
4. Qualis erat actio receptitia? Vid. Theoph. ad § 8. I. de actt. et L. 2. C. de const. pecun. (IV. 18.).
5. Unde differentiae compensationis et deductionis? quare fuit haec in bonorum emtore potius quam in alio quoque recepta?
6. Eratne iniquum ea quoque in deductionem vocari, quorum dies nondum venerat? Gaj. IV. 67.

498. Sunt autem bonae fidei judiciis similia quaedam, quorum tamen non omnino similis formula est: cujusmodi est judicium fiduciae, in quo ita est: UT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET ET SINE FRAUDATIONE; item rei uxoriae quod de dote datur: QUID AEQUIUS MELIUS (*a*): quae arbitria maxime appellantur, quae vero etiam bonae fidei judiciis accensentur (*b*).

(*a*) Cic. de Off. III. 15. pro Rosc. Com. 4. Topic. 17. Conf. L. 36. D. de peculio.
(*b*) Gaj. IV. 62. L. 8. D. de capit. min. § 29. I. de actt.

Arbitraria, et stricti juris.

499. Differunt ab his et a superioribus arbitraria judicia, in quibus arbitraria formula usurpatur, verbis: QUANTI EA RES ERIT, quae tum interponuntur cum aliquid restituendum vel exhibendum est, veluti cum in rem agitur per petitoriam formulam, aut ex interdicto restitutorio vel exhibitorio non per sponsionem. Tum judicis officium est, jubere ut res cum sua causa et cum fructibus restituatur vel exhibeatur (aut fructuum nomine condemnationem facere) (*a*); quodsi non pareat, pecuniam condemnare qua ipse rem aestimaverit (*b*).

500. Potest tamen et strictum judicium arbitrarium fieri propter loci adjectionem, quo facto judex plus minusve propter locorum differentiam condemnare debet (*c*).

### QUAESTIONES.

1. Qualis est intelligenda illa antithesis apud Ciceronem, pro Roscio Com. 4, *judicii* et *arbitrii*, quae in juris libris ignoratur? Conf. id. de Off. III. 16 et 17. pro Mur. 12.
2. An qualis contractus est talis utique actio ex eo nascitur; an vero ex bonae fidei contractu et arbitrarium, et vero strictum judicium dari potest? Gaj. IV. 47. L 9. L. 24. D. de reb. cred. juncto Cic. l. c.
3. Arbitraria judicia quid a bonae fidei judiciis differunt? Num etiam strictis judiciis quasi contraria opponi possunt? Conf. L. 5. D. de in lit. jur.
4. In arbitrariis judiciis an et ipsa restitutio nominatur? Gaj. l. c. Cic. in Verr. II. 12.

(*a*) Conf. L. 16 et 17. D. de rei vind. L. 19. de usur. L. 38. § 4. eod.

(*b*) Gaj. IV. 163 et 51. L. 179 et 193. D. de verb. sign. L. 9. f. D. ad exhib. Tit. I. de off. jud. § 31. I. de actt. Adde tamen L. 2. D. de in lit. jur. L. 68. D. de rei vind.

(*c*) L. 2. f. L. 4. § 1. D. de eo quod certo loco. Conf. § 33. I. de actt.

5. Quid existimandum est in L. 68. D. de rei vind. de verbis *manu militari officio judicis?*

501. In strictis vel stricti juris judiciis judex neque simile arbitrium habet, neque ex bono et aequo temperandi potestatem, sed formulae servire debet, cujus condemnationem, si certae pecuniae sit, neque libella augere vel diminuere potest *(a)*; si incertae sit cum taxatione, diminuere, non etiam augere, alioquin litem suam facit *(b)*. Videtur tamen et strictum judicium cum infinita condemnatione dari: QUIDQUID EUM DARE FACERE OPORTET ID CONDEMNA, quo casu judex rem ipsam aestimare debeat *(c)*.

502. Sunt autem stricta judicia in quibus verba ponuntur: SI PARET EUM DARE FACERE OPORTERE; vel QUIDQUID OB EAM REM DARE FACERE OPORTET, non addito EX FIDE BONA *(d)*.

503. Ex quibus patet judicis officium esse, ut semper pecuniam, licet certum corpus petatur, condemnet: quod jam receptum esse, propter formularum conceptionem, in quibus usque pecunia nominatur, credibile est *(e)*.

504. Sententia dicta judex esse desinit *(f)*; neque exsecutio ejus est, sed praetoris *(g)*. Attamen locus est novo judicio quod ex condemnatione nascitur, rei judicatae in duplum *(h)*.

---

*(a)* Gaj. IV. 48 seq. et 57. Seneca de benef. III. 7.

*(b)* Id. IV. 51. Conf. III. 224. Festus *taxat.*

*(c)* Arg. L. 5. § ult. D. de in lit. jur. Gaj. II. 213.

*(d)* Gaj. IV. 136. II. 213.

*(e)* Id. IV. 48. conf. 47 et 51. Cic. in Verrem Lib. II. Cap. 12.

*(f)* L. 55. de re jud.

*(g)* L. 15. eod.

*(h)* Gaj. III. 180. IV. 9. Cic. pro Flacco 20 et 21.

# CAPUT IV.

## DE JURE PUBLICO.

### Sectio I. Reipublicae constitutio.

Populus. Hugo. pag. 677.

505. Reipublicae constitutio specie quidem durat, sed re ipsa mutata est. Durant etiam nunc eadem instituta: populus, senatus, magistratus: attamen et in singulis his partibus, et vero in vi et potestate universi notabiles conversiones effectae sunt.

506. Fuit quidem ab initio Romae regimen triplex temperatum; sed ut olim optimatum auctoritas dominabatur, ita nunc cernitur primum populi potestas, deinde oligarchia, postremo ad monarchiam inclinatio.

507. Cernitur id primum in comitiis. Curiatorum comitiorum umbra tantum et imago superest; centuriata in tributa prope abierunt (*a*). Sed et tribus triginta et quinque decem novis tribubus (quae quidem perpetuae non fuerunt) auctae sunt, ex lege Julia et Plautia; (*b*) libertinis et qui possessores non erant, in quatuor tribus urbanas congregatis (anno 449) (*c*).

(*a*) Vid. Savigny. *Ueber die Verbindung der Centurien mit den Tribus* (*Civil. Magaz. III.* 3.). *Burchardi. Bemerkungen über den Census, etc. Kiel.* 1824. pag. 41.

(*b*) Appian. de bell. civil. I. 49. Cic. contra Rull. II. 7.

(*c*) Liv. IX. 49.

Praeterea cives Romani per Italiam et provincias dispersi plerique jure publico suo nunquam utuntur. Itaque loco populi multitudo successisse videtur *(a)*.

508. Suffragiorum ratio hoc mutata est, quod non voce, sed tabellis et literis feruntur, quod pluribus legibus effectum est *(b)*.

509. Senatui, praeter senatores, etiam nondum lecti intersunt, illi qui honore aliquo functi sunt, ***quibus in senatu sententiam dicere licet*** *(c)*. Memorabilis est mos qui nunc observatur ***praeterea censendi*** *(d)*. Ex diverso novus ordo jam habetur equitum, dignitate senatoria inferiorum, sed tamen cultu, insignibus, jure adeo, diversorum a reliquis civibus, et pecunia, plerumque vectigalium conductione parta, praepotentium. Hi C. Gracchi lege (anno 632?) judicia publica acceperunt *(e)*, eaque postea Sylla auctore ademta *(f)*, per Opimium anno 679. recuperarunt. Senatus. Equites. Hugo. pag.679.

510. Auctoritas quidem Amplissimi Ordinis fracta est domi lege Maenia, sed foris inter reges ac populos est summa. Praeterea quoque dispensator est provinciarum, et imperii militaris.

## Quaestiones.

1. Quo modo fit ut tribuum numero exaucto post bellum sociale, tamen nihilo minus triginta et quinque duntaxat tribus apud scriptores nominentur? Vid. Liv. Ep. 77 et 80.
2. Quam vim habuerunt leges tabellariae?

---

*(a)* App. de b. civ. I. 14. Cic. pro domo. 20. Conf. Pomp. § 9.

*(b)* Cic. de legg. III. 16.

*(c)* Gell. III. 18. et XIV. ult. Conf. tabula Heracl. passim.

*(d)* Plutarch. Cato maj. 27.

*(e)* Appian. I. 22.

*(f)* Ascon. arg. in Q. Caecil. divin. Conf. etiam Cic. pro Rab. Postumo. 5.

3. Quae est origo ordinis equestris, et quid centuriae equitum? Liv. II. 1. Plin. Nat. Hist. 33. 2. Vid. Savigny l. c. *Heeren. Historische Schriften.* I. pag. 225. Eisendecher. Cap. 12.
4. Quid proderat Gracchi institutum judicia ad equites transferentis?

Magistratus. Hugo. pag. 680.

511. Patricii honoribus gerendis non antecellunt plebejos, si sacerdotia quaedam excipias (*a*), ac nobilitati quandoque novi homines praeferuntur.

512. Definitum est legibus annalibus qua quisque aetate magistratum obire possit (*b*), sed hi annui non sunt quatenus pro consule aut pro praetore in provincias iri solet, eaeque per annos plures obtineri. Ordinare atque ornare provincias senatus est, sed ex lege Sempronia futuris magistratibus decernuntur (*c*); idemque subinde in comitiis peragitur (*d*).

513. Praeter consules nunc plures praetores sunt, quorum tamen, prout cuique sors obtigit, duo tantum juri dicundo praesunt; reliqui vero quaestiones perpetuas exercent, aliaque negotia, velut ludos, procurant. Aediles quoque numero ac dignitate aucti sunt (*e*); quorum jurisdictionem in provinciis quaestores habent (*f*).

514. Dictaturae libertatis tempore diu intermissae successit formula: VIDEANT CONSULES e. r. (*g*). Ceterum labante republica redit perpetua, ex qua leges Corneliae exstiterunt.

(*a*) Cic. pro domo. 14.
(*b*) Liv. XL. 44.
(*c*) Cic. pro domo. 9.
(*d*) Id. in Verr. Lib. I. Cap. 13. Vell. Patercul. II. 31.
(*e*) Id. Lib. V. Cap. 14.
(*f*) Gaj. I. 6.
(*g*) Sallust. Catil. 29.

515. Censorum officium nunc latissime patet, quod et morum censura accessit, unde vitae privatae cujusque quodammodo moderatores, ut et arbitri juris publici esse videntur; quae res ad juris criminalis angustiam supplendam conducit. Praeterea vectigalia locant, et opera publica (*a*). Sed exeunte hac aetate census saepe intermittitur, ac nota censoria vim suam amittit (*b*).

516. Tribunatus per haec tempora adeo crevit, ut magistratus vere dici possit; coërcuit quidem eum Sylla, sed instauravit denuo Pompejus Magnus (*c*).

517. Italiae quoque civitates (quae in legibus designantur literis o. m. c. p. f. v. c. c. tve) (*d*), civitatem Romanam adeptae, tamen non minus quam Roma suos quaeque magistratus habent: duumviros, quatuorviros, aliosve, suumque senatum, ordinem, decuriones (*e*), ut Romanus quoque senatus appellatur (*f*). Municipia e.r. Hugo. pag.681.

518. Magistratus illi a populo in civitatis comitiis creantur; senatores leguntur vel cooptantur (*g*).

519. Quae civitatis Romanae beneficium non acceperunt, autonomiam suam, nec tamen illibatam, retinuerunt; fundana vero municipia minus (*h*).

520. In provinciis autem civitates suum quoque se-

(*a*) Cic. de legg. III. 3.

(*b*) Id. in Verr. Lib. I. Cap. 41. Pro Cluentio. 42 et 43.

(*c*) Id. de Legg. III. 9.

(*d*) Lex Rubria, et Tabula Heracl. passim. Paulus. R. S. IV. VI. § 2.

(*e*) Tab. Heracl. Sect. V. et IX. Gaj. II. 195.

(*f*) L. 2. § 2. D. ad SCtum Vellej. Dionys. Halicarn. II. 7. pag. 12.

(*g*) Tab. Heracl. l. c. Cic. pro Cluentio. 8. L. 1. § 1. D. ad L. Jul. de ambitu.

(*h*) Conf. Cic. de legg. III. 16. Pro Balbo. 8. Tab. Heracl. Sect. ult. ad eamque Dirksen. Observationes ad Tab. Heracl. pag. 211.

11 *

natum habent, non tamen ullam libertatis imaginem (a), nisi liberarum civitatium numero sunt, quae praeter autonomiam vectigalium quoque habent immunitatem (b).

QUAESTIONES.

1. Quid statuit Sylla lege de civitate lata? an ea lex duravit?
2. Quid differunt colonia, municipium, praefectura, ceteraque supra scripta nomina? Vid. *Savigny. Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter. Heidelberg* 1815. (ed. II. 1834.) T. I. Cap. II.
3. Cur nomine *populi* illorum cives non designantur? Conf. L. 15. D. de verb. signif.
4. Magistratus municipales in municipiis fundanis, sive civium Romanorum, an liberam jurisdictionem habent? Conf. lex Rubria (*Civil. Magaz.* pag. 442 seq.), cum Liv. 39. 55. vsu *eodem anno.*
5. An hoc tempore imperium habent? Vid. infra. sect. 542. Conf. L. 26. D. ad municip. Legatur *Savigny.* o. c. I pag. 59.
6. An judicia publica in illis civitatibus haberi possunt? Vid. Tab. Heracl. Sect. 8: *quive in eo municipio* e. r.
7. Municipes fundani ubi censentur? Ib. 11.
8. An Romae suffragia ferre, ibique honores capere possunt? Vid. Sigonius. de jure Italiae. Cap. II. pag. 91. (Venet. 1562).
9. Civitates provinciales an hoc tempore habent magistratus? Cic. ad Att. Ep. cit. Savigny. l. c. Walter. pag. 319.
10. Gallia Cisalpina quando civitatem Romanam accepit? Savigny. *Zeitschrift.* IX. 3.

---

(a) Cic. ad Att. VI. Ep. 1. verbis: *inclusum in curia senatum.*

(b) Ibid. verbis: *Graeci vero exsultant.* Id. de Off. III. 22. In Verr. Lib. II. Cap. 13. Plin. Ep. VIII. 24.

### Sectio II. Reipublicae administratio.

521. Sacra cum publica tum privata, a majoribus instituta, vetustate et propter sumtum negliguntur atque evitantur (*a*). Nec tamen homines Romani in magna morum corruptela minus superstitiosi esse videntur. De jurejurando quidam nova ratione philosophantur (*b*) juri civili satis adversa.

522. Fastos vitio pontificum per intercalandi licentiam turbatos Julius Caesar correxit (*c*).

523. Scholae publicae nondum habentur, sed peregrini continuo Romam ventitant Romanam juventutem mores patrios dedocentes: hi primum senatusconsultis ac magistratuum imperio arcentur (*d*); sed brevi tolerantur, placent; postremo Romani principes filios suos Athenas mittunt, Rhodum alioque, ut philosophis audiendis erudiantur (*e*).

524. Militare etiam nunc unusquisque tenetur, sed plerisque necesse non est, legionibus perpetuis jam institutis, quae ex pessima quandoque colluvie, libertina ac proletaria, conscribuntur (*f*). Horum tamen militum causa, ut et veteranorum, possessores expelluntur (*g*), et jura singularia quaedam institui coeperunt (*h*). Imperium militare habent qui

Militia. Hugo. pag. 683.

(*a*) Cic. de Nat. Deor. II. 3. de legg. II. 21. de divin. I. 15. II. 35 et 36. Conf. Tacit. Annal. IV. 16.

(*b*) Cic. de Offic. III. 29. ad famil. VII. Ep. 12.

(*c*) Suet. Jul. Caes. 40.

(*d*) Gell. VII. 14. XV. 11. Plutarch. Cato maj. 22.

(*e*) Cic. de Offic. 1 et III. 2 extr. Conf. id. ad Att. VI. Ep. 1.

(*f*) Plutarch. Mario. 9.

(*g*) Virgil. Ecl. I. vs. 71.

(*h*) L. 1. D. de test. milit. Gaj. I. 57.

cuique provinciae praesunt, quandoque speciali lege delatum (*a*).

Jurisdictio. Hugo. pag. 684.

525. Qui magistratus in imperio Romano nunc juri dicundo praesint, jam indigitavimus. Non tamen omnes de omni re jus dicunt, puta aediles, et quaestores in provinciis (*b*); nec municipales magistratus ubique ultra certam summam (*c*). Romae statis diebus jus dicitur; in provinciis conventus tempore, qui per hyemem agi solet (*d*).

526. Illi quoque jus dicunt quibus mandata est jurisdictio (*e*), quod praesertim in provinciis utile est.

527. A magistratu minore ad aequalem vel majorem, et ad tribunos, intercessionis causa est appellatio (*f*).

528. Unusquisque magistratus solus jurisdictionem habet, sed tamen amicos suos praesertim juris peritos adhibet, qui sibi adsideant, seque juvent consiliis (*g*).

529. Actor rei forum, sive in personam sive in rem actio sit, sequitur (*h*); sed forum rei tam ex origine quam ex domicilio intelligitur (*i*), atque civium Romanorum communis patria Roma est (*k*).

In jus vocatio. Vadimonium. Hugo. pag. 692 et 676.

530. In jus vocatio etiam nunc in usu habetur vio-

(*a*) Cic. pro lege Manilia.

(*b*) Gaj. I. 6.

(*c*) Lex Rubria (*Civil. Magaz.* pag. 450.). Conf. L. 28. D. ad municip. Paul. V. 5. A. L. 11. D. de jurisd.

(*d*) Gaj. I. 20. II. 279. Cic. Verr. II. 13. ad Att. V. Ep. 16 et ult.: *Idibus Februariis* e. r. Caesar de bell. Gall. Lib. I. extr. Suet. Jul. 7. Theoph. ad § 4. I. Quib. ex causis manumittere.

(*e*) Tit. D. de off. ejus cui mand. est jurisd. L. 13. D. de off. procons.

(*f*) Cic. in Verr. I. 46. Pro Quintio. 20. Pro Tullio. 105 im. pag.

(*g*) Id. de Orat. I. 37. ad famil. VII. Ep. 11. Seneca de tranq. C. 3.

(*h*) Vatic. § 325. Conf. Cic. in Verr. Lib. III. Cap. 15.

(*i*) Cic. de legg. II. 2. L. 29. D. ad municip.

(*k*) L. 33. eod.

lenta, ut praeter testimonia *(a)*, ex eo intelligitur, quod edicto praetoris tantopere determinata est: alii enim omnino, alii sine permissu praetoris in jus vocari non possunt *(b)*.

531. Qui in jus vocatus fuerit, ei, ni eo die finierit negotium, vadimonium faciendum est, sive purum, sive cum satisdatione, sive jurejurando *(c)*, sive denique, quod acerbius est, recuperatoribus suppositis. Vadimonium fit quanti res est cum judicati vel depensi agitur, alioquin quanti actor infra edicti taxationem, et de calumnia jurans, postulaverit *(d)*.

532. Ex diverso actor debet formulam qua agere volet edere adversario, item probationes quibus usurus est *(e)*.

533. Neque omnes qui velint postulare possunt: non pauci enim vel pro se, vel pro aliis postulare edicto praetoris prohibentur, maxime propter infamiam. Mulieres pro aliis postulandi jus jam perdiderunt *(f)*.

534. Litis contestatione facta, qui juri dicundo praeest judicem dat, vel arbitrum, ex numero selectorum, quorum nomina in albo perscripta habet *(g)*, qui jurati judicent. Neque id recusare possunt nisi ex justa causa *(h)*: sed consulere possunt et amicos suos adhibere *(i)*.

---

*(a)* Conf. auct. cit. supra 234.

*(b)* Gaj. IV. 46 et 183. Tit. Dig. de in jus voc.

*(c)* Conf. Tit. D. Qui satisd. cogant.

*(d)* Gaj. IV. 184 seq. Conf. Cic. pro Quint. 5 et pass. ad Quint. fratrem II. Ep. 15. in Verr. l. c. Lex Rubria p. 451.

*(e)* L. 1 et 3. D. de edendo.

*(f)* L. 1. § 5. D. de postulando. Val. Maxim. VIII. 3.

*(g)* Seneca. de benefic. III. 7.

*(h)* Conf. 235 supra.

*(i)* Cic. Topic. 17. Gell. XIV. 2. Cic. pro Quintio. 6.

Hugo. pag. 689 et 687. 535. In causis severioribus, ut videtur, puta cum de vi agitur, recuperatores dantur, repente apprehensi, ut quam citius res judicetur (*a*).

536. Item de quibusdam causis centumviri judicant, de triginta et quinque tribubus lecti (*b*), maxime de hereditatis petitione (*c*); de libertate decemviri (*d*).

QUAESTIONES.

1. De quibus causis solebant jus dicere aediles? Vid. L. 1. L. 38. L. 40 seq. de aedil. edicto, et § 1. I. Si quadrupes. Conf. tamen Tit. D. de his qui effud. Cic. de legg. III. 4. Tab. Heracl. Sect. 2-5.
2. Quid est conventus? Conf. Walter. pag. 319.
3. Vadimonium quando et ubi fit? Conf. Lex Rubria, pag. 451. Horat. Serm. I. IX. 37.
4. Num differt a cautione judicio sisti, quae in Digestis comparet? Conf. Tit. D. Si quis cautt. judicio sisti, maxime in L. 10: *quia si ad judicium* e. r. L. 2. D. Quib. ex causis in possess. Leg. *Zenger. Ueber das Vadim. der Römer.* pag. 19. *Zimmern.* III. pag. 341 infra.
5. Quando et ubi fit editio formulae? Conf. Gaj. IV. 141. Cic. pro Quintio 20. Zimmern. pag. 343.
6. Quid differunt a judice recuperatores? Conf. J. A. Collmann. de Romanorum judicio recuperatorio Commen-

(*a*) Cic. pro Tullio pag. 100 et 106. de invent. II. 20. in Verr. III. 28. Plin. Ep. III. 20. Gaj. IV. 185.

(*b*) Festus *centumvir. jud.*

(*c*) Tit. D. de inoff. test. pass. Cic. de Orat. I. 38. Plin. V. Ep. ult. VI. Ep. 33. Leg. Bethmann-Hollweg. *Zeitschr.* V. p. 358. Adde K. A. Schneider. de Centumviralis judicii apud Romanos origine Liber singularis. Rostoch. 1835.

(*d*) Cic. pro Caec. 33. pro domo 29. Conf. L. 32. § 7. D. de recept.

tatio. Berol. 1835. Item Sell. *die Recuperatio der Römer. Braunschw.* 1837.

7. Qui cives seliguntur ad judicandum?
8. An centumviri populi vice funguntur?
9. Decemviri stlitibus judicandis an magistratus erant, an vero privati? Dion. Cass. 54. Cap. 26. Plin. V. Ep. ult. Suet. Aug. 36. Pomp. § 29. Num qua ratione ad centumviros pertinent?
10. An praetor praeerat centumvirali judicio? Plin. l. c. Conf. tamen Gaj. IV. 31. Tacit. Orat. 38.
11. An judex etiam de jure cognoscit? Cic. de Orat. I. 38. pro Caecina 2. L. 79. § 1. D. de judiciis. App. de bell. civil. I. 54.

537. In jure quoque fiunt interrogationes probandi causa (*a*), et stipulationes jubentur, inter quas notabilis est damni infecti, variaque interponuntur decreta, puta in integrum restitutiones, et missiones in possessionem tum bonorum tum singularum rerum. **Decreta. Probationes. Hugo. pag. 694 et 696.**

538. Est etiam decretum quo operis novi nunciatio remittitur (*b*), item quo novum opus fieri prohibetur (*c*). Decernit porro praetor de edendo adversus argentarium (*d*), de recepto adversus arbitrum (*e*), de alimentis pupillo praestandis, de aliis denique rebus innumerabilibus, quae singulatim hic comprehendi non possunt.

539. Quod quis in jure confessus est, id pro judicato habetur (*f*).

(*a*) L. 2. D. de interr. in jure fac.
(*b*) Tit. D. de remiss.
(*c*) L. 5. § 10. D. de operis novi nunciat.
(*d*) L. 8. § 1. D. de edendo.
(*e*) L. 3. D. de recept.
(*f*) Tit. D. de confess. Lex Rubria pag. 447.

540. In judicio potissimum probationes fiunt, per codices, aliaque instrumenta, atque per testes (*a*).

541. Etiam jusjurandum inter probationes est, quod alter litigatorum alteri defert tam in jure quam in judicio, aut etiam judex exigit (*b*).

QUAESTIONES.

1. Quid de interrogatoriis actionibus existimemus, quae in L. 1. § 1. D. de interr. in jure fac. nominantur? Num forte in illa §. Justiniani persona loquitur?
2. Quaenam origo et progressio est in integrum restitutionis? Num eam rem totam praetor adinvenit?
3. Quale jus habet qui propter damnum infectum ex secundo decreto in possessionem missus est? Conf. L 15. §§ 16 et 26. D. de damno inf.
4. Cur in lege Rubria judicium dari tantum, nec in possessionem iri dicitur?
5. Ex quibus causis mittitur nunc in possessionem bonorum? An Cicero pro Quintio 19 post *solum verterit* lacunam habere videtur? Conf. Cap. 28: *ex edicto autem*. Gaj. III. 78. An omnes possidendi causas enumeravit, an vero quae sunt rei servandae duntaxat? L. 1. D. Quib. ex caus. in poss.
6. Quid sibi vult lapilli ictus in L. 5. § 10. D. de operis novi nunc. et in L. 20. § 1. D. Quod vi aut clam?

Exsecutio. Hugo. ib.

542. Cum judicatum est, non tantum post quam legitimum tempus exiit bonorum venditioni locus est, sed etiam nunc moris est ut debitores ducantur, nec solum Romae, sed in municipiis quoque si de pecunia certa credita agatur (supra 391.); alioquin licet juris-

(*a*) Cic. pro Roscio Com. 5. Gell. XIV. 2. Titt. D. de test. et de fide instr.
(*b*) L. 31. L. 34. D. de jurejur.

dictio magistratus municipalis sit, non tamen ad eum sententia exsequenda pertinet (*a*).

### Quaestio.

1. Cur magistratibus municipalibus executio permittitur in causa pecuniae, quam in aliis causis non habent?

**543.** Anno urbis 604. quaestiones perpetuae sunt institutae (*b*); quae res magnam mutationem judiciorum publicorum attulit, quod nunc singula crimina singulis legibus reguntur, quibus forma judicii tota definita est (*c*). Neque communiter ipse populus in suffragia mittitur, sed loco populi certo numero judices, nunc senatorii, nunc equestres, nunc ex albo selectorum lecti (*d*); ac praeest praetorum aliquis eorum quibus jurisdictio non obtigit (*e*). Vera tamen populi judicia nondum exoleverunt (*f*). Judicia publica. Hugo. pag. 699.

**544.** Prima istiusmodi lex fuit Calpurnia repetundarum, adversus magistratuum avaritiam, quam deinde aliae non paucae secutae sunt, item ambitus et majestatis: quae omnes ad rem publicam pertinent. De laesionibus privatorum notabiles sunt quas Sylla dictator tulit de sicariis, cujus pars lex Cornelia de injuriis esse videtur (*g*), et de falsis sive testamentaria, ex qua fictio legis Corneliae repetenda non videtur (*h*). Leges de criminibus.

---

(*a*) Lex Rubria. Cap. 21 et 22.

(*b*) Cic. in Bruto 27.

(*c*) Ascon. arg. orat. Cic. pro Milone. In primis confer legem Serviliam a Klenzio editam.

(*d*) Cic. pro domo. 13. Lex Servilia. pass.

(*e*) Id. pro Murena. 20.

(*f*) Id. Brut. l. c. Sigonius de antiquo jure civium Romanorum. Lib. II. Cap. 18.

(*g*) Theoph. ad § 8. I. de injuriis.

(*h*) Arg. L. 15. D. de injusto rupto.

545. Est etiam judicium publicum rei privatae ex lege Plaetoria (*a*).

546. Deinde Pompejus quoque leges tulit, veluti celebrem de parricidiis; item Julius Caesar de vi et majestate (*b*) : sed quae Caesaris leges sunt eas Augusti leges obumbrarunt.

547. Quodammodo ad jus privatum pertinent lex Plautia de vi (*c*), et lex Julia repetundarum (*d*).

548. Ex legum autem illarum multitudine, quas recensere infinitum sit, praesertim de eodem crimine latarum, impotentiam earum suspicari liceret, et delinquentium impunitatem, si ea aliunde non cognoscerentur.

549. Etenim non modo judicia plerumque venalia sunt, sed etiam reus poenam solum vertendo evitare potest, vel in proximam quamque civitatem se recipiendo (*e*). Itaque factum est ut de poenis praeter pecuniae quantitatem, in legibus vix quidquam statuatur, et ad exilium fere res redeat. Unde etiam tecti et aquae et ignis interdictio, tam lege quam judicio irrogata (*f*).

550. Ceterum quae supra scripta sunt ea cessant in peregrinis delinquentibus, militiae, et in provinciis. Plane in causis gravioribus extra ordinem animadvertitur, et ex senatus decreto summum supplicium de civibus indemnatis sumitur, ut factum est in causa Cati-

(*a*) Cic. de Nat. Deor. III. 30.

(*b*) Id. Philipp. I. 9 extr. Conf. Plut. Romulo. 22 extr.

(*c*) Id. ad famil. VIII. Ep. 8. Gaj. II. 45.

(*d*) Id. ad Att. V. Ep. 6. Pro Rabir. Post. 4. L. pen. D. ad L. Jul. repet.

(*e*) Sallust. Catil. 51. Cic. pro domo 30.

(*f*) Cic. Phil. I. c. pro domo Cap. 17. 18. 31. Liv. 25. 4 extr.

linaria (*a*): quod tamen more majorum, sicuti de manifestis rerum capitalium, fieri obtenditur (*b*).

## Quaestiones.

1. An senatus de capite civis judicium est? Conf. praeter Polyb. VI. 13. maxime Cic. pro domo 13. Si est, unde accessit ei haec potestas contra quam in duodecim tabulis est? Conf. Liv. 26. 33: *per senatum.*
   Vid. Dirksen. *Abhandlungen.* I. 2. pag. 146.
   Rosshirt. *Archiv.* fasc. cit. pag. 30.
2. Ex lege Cornelia de injuriis an publicum fuit unquam judicium? Conf. L. 12. f. D. de accusat. et Gaj. Lib. III. § 220-225. cum L. 42. § 1. D. de procuratt. Add. Paulus V. IV. 8. et L. 37 § 1. D. de injur. Leg. Birnbaum. *Ueber den Unterschied zwischen* crimen *und* delictum. *Archiv.* 1827. pag. 400-410.
3. In lege Pompeja de parricidiis numquid de poena statutum sit? an vero haec more majorum exigebatur? Vid. L. 9. D. ad L. Pomp. de parr. Cic. pro Roscio Amer. 26. de Invent. II. 50. Suet. August. 33.
4. Suntne et aliae causae in quibus reo exilium permittatur? Cic. pro Rabirio perd. reo. Cap. 3, 4 et 5.
5. Num quae pudicitiae causa hoc tempore leges latae sunt? Cic. Philipp. III. 6. Ad famil. VIII. Ep. 12. de Nat. Deor. III. 30. Val. Maxim. VI. I. 7. Sueton. Domitiano. 8. Conf. Cic. de legg. II. 9.
6. Quid causae est cur Romani leges speciales de unoquoque crimine scriptas habuerint, nec generales leges, nec legum Codices?
7. An moribus sine lege de capite civis judicium et poena

(*a*) Cic. post reditum in senat. 6. Plutarch. Cic. 30. Appian. de bell. civil. II. 15.

(*b*) Sallust. l. c. Cap. 52 extr. Appian. ib. 6.

esse potuit? Num placebat interpretatio *extensiva?* L. 7. § 3. D. ad L. Jul. maj. L. 3. D. de lege Pomp. de parr.

8. In provinciis qua lege exercebantur crimina? Vid. Dirksen. pag. 137. Rosshirt. pag. 34.
9. Cum judicia publica in municipiis fuisse constet, qua ratione est hoc cum Polybii loco VI. 13. conciliandum?

Aerarium. Reditus. Hugo. pag. 702.

551. Pecuniae publicae administratio et hoc tempore diu fit per quaestores, quorum et numerus et officium ampliatum est (*a*). cum Italiae causa tum propter provincias (*b*), donec illam Julius Caesar ad aediles transferat (*c*).

552. Censu jamdudum tributa exigi desierunt, postquam victoria Macedonica illis finem attulit (*d*). Neque ab Italia quidquam redit praeter vicesimam manumissionum, sublatis agrorum vectigalibus lege Thoria anno 646 (*e*), deinde portoriis quoque, et diviso agro Campano (*f*).

553. Itaque solae provinciae conferunt: aliae vectigal stipendiarium, id est certam pecuniae summam ab agrorum possessoribus praestandam; aliae omnis generis vectigalia, maxime portoria, quae aut Romae a censoribus, aut in provinciis a quaestoribus (*g*), publicanorum societatibus locantur; aliae denique decimas et scripturam (*h*).

---

(*a*) Liv. Epit. XV. Tacit. Annal. XI. 22.
(*b*) Conf. Cic. in Verr. III. 7.
(*c*) Dion Cass. 43. Cap. 48.
(*d*) Cic. de offic. II. 22.
(*e*) Id. Brut. 36.
(*f*) Id. ad Attic. II. Ep. 16.
(*g*) Id. in Verr. III. 7.
(*h*) Ib. III. 6. pro lege Manil. 6. Vid. *Hegewisch. über die Röm. Finanzen. Altona.* 1804. pag. 65.

554. Haec autem omnia praeter capitationem, quae in plerisque provinciis percipitur (*a*).

555. Extraordinario quidem emolumento eique magno diu praeda est; sed cum postremo nationes debellandae desiderentur, praeter longinquas quasdam ac pauperes, hic fons divitiarum publicarum exaruit.

556. Duravit quoque hoc tempore reditus salis, quod a censoribus subinde carius aequo populo praebendum locatur (*b*).

557. In sumtu publico praecipuum est stipendium militum (quibus ex C. Gracchi lege vestimenta quoque praebentur) (*c*), et quidquid ad multos magnosque exercitus alendos opus est, quorum necessitatibus saepe totius provinciae vectigalia consumuntur (*d*). Expensa:

558. Idem Gracchus menstruas frumentationes instituit, quae res postea praeter modum exaucta non minus reipublicae quam aerario nocuit (*e*).

559. Deinde opera publica, templa, theatra, basilicae, tam aedificanda quam sarta tecta servanda sunt; et quae utiliora sunt, aquae ductus et viae publicae. Hae rectae fere per Italiam ductae immenso opere pulcherrime muniuntur; in qua re ejusdem Gracchi praeclara consilia laudanda sunt (*f*).

## Quaestiones.

1. Cur numerus quaestorum adeo auctus est? quae erant

(*a*) Ad famil. III. 8: *atque hoc tamen e. r.* item ad Att. V. 16. L. 3. D. de censib. Tertull. Apolog. 13.

(*b*) Liv. XXIX. 37.

(*c*) Plutarch. C. Graccho. 5.

(*d*) Cic. pro lege Manil l. c.

(*e*) Id. Tuscul. III. 20. pro Sextio. 48. Conf. quoque tab. Heracl. init.

(*f*) Plutarch. ib. 7.

varia eorum officia? Quis magistratus hodie cum illis comparari potest?

2. Quibus adjutoribus utebantur inferioribus?
3. An publicani eorumve ministri etiam Romae male audiebant, ut in quibusdam provinciis?
4. Cur transtulit Caesar pecuniam publicam a quaestoribus ad aediles?
5. Quae fuit origo capitationis? Vid. *Bosse. Grundzügen des Finanzwesens im Röm. Staate. Braunschweig.* 1804. Part. I. pag. 91. Part. II. pag. 113.
6. Quae erat illa Judaeorum superstitio, aurum undequaque Hierosolymam exportantium? Conf. Cic. pro Flacco 28. Quo pacto poterant hoc facere?
7. Quales erant viae publicae Romanorum? Legantur Otto. de tutela viarum. Trajecti 1731. pag. 353. Berguier. de publicis et militaribus imperii Romani viis, in Thes. Graev. Vol. X. pag. 303. Gallice: *Histoire des grands chemins de l'Empire Romain, par Berguier. Bruxelles* 1728.

Res aedilitia. Hugo. pag. 704. 560. Ludorum curam et annonae etiam nunc aediles agunt, illos saepe suo sumtu edentes, hanc vero summa ope vilem facientes, ut populo placeant (*a*). Iidem jus dicunt ex edicto suo de mancipiis, jumentis, aliisque rebus venalibus (*b*); item sacrarum aedium, atque viarum in urbe curam gerunt, quae publice aut a privatis purgandae reficiendaeve sunt (*c*).

561. Incendiis arcendis illi quoque vacant, sed potissimum triumviri nocturni excubias agentes, quorum ministri sunt servi publici (*d*).

(*a*) Plin. Nat. Hist. XVIII. 4.
(*b*) Tit. D. de aedil. edicto.
(*c*) Vid. tabula Heracl. quatuor capitt. priorr.
(*d*) L. 1. D. de officio praef. vigil.

562. Praeterea nocturnam securitatem tuentur quinqueviri cis Tiberim, et ultra Tiberim (*a*).

563. Rem nummariam praeter alios regunt triumviri monetales (*b*).

564. Collegia et corpora non tantum innumerabilia sunt, sed et hoc nomine abutuntur saepe (*c*), et adversus rempublicam illi coetus adhibentur: unde senatusconsulto anno 685. plurima illorum sublata sunt, a seditioso Clodio postea restituta (*d*).

(*a*) Pomp. § 31.

(*b*) Cic. de offic. III. 20. Pomp. § 30.

(*c*) Id. pro Sextio. 15.

(*d*) Ascon. Orat. Cic. in Pison. 4.

# AETAS III.

## AB AUGUSTO AD CONSTANTINUM MAGNUM.

30 A CHR. — 306 POST CHR.

## CAPUT I.

### DE FONTIBUS JURIS.

Causae. Monarchia. Hugo. pag. 708.

565. Hoc tempore monarchia, quae ante in Syllae ac Caesaris dictatura adparuerat, perpetua facta est. Quae rerum conversio non solum juris fontes, ut debuit, mutavit, verum etiam in plerasque juris publici privatique partes, et in jurisprudentiae conditionem vim habuit, postea singulatim demonstrandam.

566. Repetenda videtur, ut jam innuimus, a provinciis earumque administrandarum ratione. Cum provinciarum enim possessione, praeter opes, conjuncta erat legionum possessio, et quisquis his rebus plus poterat, is facile senatus auctoritatem spernere, sibique populi, id est multitudinis, voluntatem subjicere poterat (*a*). Itaque non erant qui principatum cuique affectanti opponerentur praeter pares cujusque idem cupientes, et res primum ad societatem (triumviratum), mox ad arma redire debebat: quibus qui superior esset, ei praeda cedebat, respublica. Hoc pacto Caesar Octavianus (post ex senatus decreto *Augustus*)

(*a*) Suet. Aug. 26. Dion Cass. 53. Cap. 16. Cf. Caesar de bello civ. C. 1.

ex pugna navali ad Actium, summam rerum nactus est, quam deinde perpetuo obtinuit.

567. Ut eam obtinere posset, faciebant cum aliae causae tum potissimum priorum calamitatum memoria. Bellorum civilium et proscriptionum taedebat. Qui rempublicam non turbatam vidissent supererant pauci; plerique pacem et otium quoquo pretio malebant (*a*). Aliquid etiam fecit tempus: per quatuor enim et quadraginta annos quibus Augustus regnavit, populus Romanus unius dominatui adsuescere poterat.

568. Ille interim, seu metu seu prudentia, antiquas formas, antiquaque nomina, quoad potuit retinuit. Neque dictator, neque triumvir esse voluit, sed consul, consulatui adjiciens (sane callide) tribuniciam potestatem, imperium proconsulare in provinciis, morum ac legum regimen (pro censura), item pontificatum maximum. Haec tamen posteriora perpetua habuit (*b*).

569. Itaque imperium origine regium, postea numero divisum ac tempore finitum, eo fere unde ortum erat regressum est. Plures enim honores et potestates in unam eandemque personam, in annos plures, cumulantur; primum quidem renovantur, aut perpetuantur; sed procedente tempore simul et semel, quum Princeps imperium auspicatur, conferuntur (*c*).

570. Ea autem re magna quidem facta est Principis, vel Augusti, vel Imperatoris, vel domini (nam et hoc nomen invaluit) potestas, sed haec personam ejus non Princeps.

(*a*) Tacit. Ann. I. 1, 2 et 3.

(*b*) Dion. Cass. 53 Cap. 17 et 32. Tacit. Ann. I. 2. Suet. Aug. Cap. 26 et 27.

(*c*) Id. Cap. 18 extr. Ael. Lamprid. Alexand. Severo. initio. Id. Juliano 3.

egreditur (*a*); neque lege nec moribus de jure succedendi quidquam provisum est. Quinimo nova continuo lex de cujusque imperio aut fit, aut fieri intelligitur (*b*). Quodsi filius naturalis vel adoptivus (*c*) defuncti, vel propinquus, facilius succedat, id eo potissimum efficitur, quod in partem vel societatem a possessore admissus sit.

Magistratus. Hugo. pag. 724.

571. Reliqua deinde reipublicae instituta manent. Senatus augetur atque instauratur, populi comitia plus seculo durant. Sane in utrisque Princeps plurimum potest (*d*). Veteres magistratus, praesertim consules, novis aliis institutis iisque potentioribus, obumbrantur. In his notabiles sunt primum praefectus urbi, postea quoque praefectus praetorio.

Provinciae.

572. Provinciarum quidem arbitrium penes Principem est, sed militares tantum, in quibus legiones habentur, administrat ipse, per legatos consulares sive Augusti (provincias Caesaris); reliquis, populi Romani provinciis, praesunt proconsules more pristino, sed minore cum potestate. In omnibus praeterea habentur procuratores inferiori loco ac dignitate, qui fiscum procurant, et minores etiam administrant provincias (*e*).

Privatorum conditio. Domi.

573. Privatorum hominum conditio Romae et in Italia universe nunc tolerabilior fuisse videtur quam superiori aetate; in provinciis certe sine dubio fuit. Magna quidem fuit crudelitas et avaritia quorundam

(*a*) Conf. Tacit. Hist. I. 15.

(*b*) Gaj. I. 5. Vide infra Sect. 582 seq.

(*c*) Conf. Vopiscus. Aureliano. 14.

(*d*) Conf. Capitol. Macrino. Cap. 6 extr.

(*e*) Gaj. I. 6. II. 7, 21. Dion Cass. LIII. 12 seq. Tit. D. de off. proc. Caes. Tacit. Hist. I. 11.

pessimorum Imperatorum, sed haec magis nobilioribus quibusdam civibus exitio erat, quam universi populi calamitas. Neque illi tam diu et tam continue regnarunt quam Trajanus et Antonini, rectores optimi ac prudentissimi. Ceterum moribus omnes nisi deteriores, certe effeminatiores effecti sunt, et posteriori hujus aetatis seculo ipsius quoque imperii status per militarem despotismum et barbarorum incursiones periclitari, domi artes ac disciplinae corrumpi coeperunt; quanquam id in jure civili et in jurisprudentia non perinde cernitur.

574. Provincialium conditio eo melior facta est, quod magistratuum avaritia Principis imperio coërcetur; quodque illi publice salarium accipiunt (*a*). Quaedam adeo provinciae, praesertim quae populi sunt, hostilibus incursionibus non obnoxiae, nec jam sedes legionum Romanarum, ad magnam hoc tempore prosperitatem pervenisse videntur, et vero sic artes, doctrinam, jura, sermonem Romanorum adscivisse, ut ex pristina barbarie postremo nihil prope superesset. In provinciis.

575. In jure civili novus reipublicae status eo se aperit, quod quum omnia ex unius voluntate fieri possint, mutationes faciliores nunc sint, audaciores, et altius penetrantes. Itaque et domesticum patrisfam. imperium, et de pecunia cujusque liberi legandi facultas, nunc restringitur continuo et coarctatur. In jure publico autem maxime apparet cum multitudine ac varietate novorum vectigalium, tum novis criminibus eorumque vindicandorum ratione. Effectus in jus civile. Hugo. pag. 726.

576. Fontes juris sunt universe iidem qui superiori Fontes. Hugo. pag. 733.

(*a*) Tacit. Agric. 42. Dion Cass. lb. 15. Lamprid. Alexand. 42. Sueton. Domit. 8. Vid. etiam L. 25. D. de appell.

aetate: sed leges non durarunt; senatusconsulta creverunt; et quod maxime notabile est, accesserunt constitutiones Principum. Jus civile ad novos etiam fontes se applicuit; sed magis se explicuit sua virtute ac felicissima jurisprudentiae conditione. Ex diverso jus praetorium magis jureconsultorum opera, quam praetoria jurisdictione vel edictis amplificatum est *(a)*.

Leges. Hugo. pag. 736. 577. Quin leges evanescerent hoc tempore, vix aliter fieri poterat: attamen quo modo quove gradu id effectum sit, ignoratur. Jam inter omnes constat non *e campo comitia ad patres translata* *(b)* ad rem pertinere; imo legum mentionem fieri multis annis post Tiberium *(c)*. Contra quaedam constituta alias leges appellantur, alias senatusconsulta *(d)*.

Senatusconsulta. Hugo. pag. 737. 578. Senatusconsulta multo plura de jure civili nunc fiunt quam antea: nimirum multa quae adhuc senatus fuerant publica jam solus Princeps procurat; at qualia quondam legibus solebant forte innovari, ea nunc utilius et commodius per senatum constituuntur. Fiunt quidem pleraque secundum voluntatem Principis, nec tamen nunquam cum deliberatione vel disceptatione; Princeps omnibus rebus intervenit: imo boni Principes id summo studio egerunt ut senatus auctoritas, non minus quam senatoria dignitas, conservaretur *(e)*. Apparent de jure novissime Antonino Caracalla Impera-

*(a)* Vid. tamen § 1. I. de fideic. heredit. et L. 3. D. de conj. cum emanc. lib.

*(b)* Tacit. Ann. I. 15. Conf. Suet. Calig. 16. Dion Cass. 59. 9.

*(c)* Vid. Gaj. I. 171. Tacit. Annal. XI. 14. L. 3. § 1. D. de term. moto. Capitol. Marco. 13.

*(d)* Tacit. Annal. XI. 13. Capitol. Pertin. Cap. 7. junct. § 7. I. quib. mod. testam. infirm. Gaj. I. 85 et 86.

*(e)* Spart. Hadr. 8. Capit. Marco. 10. Tacit. Hist. II. 91.

tore, non ultra, etsi jus eorum et auctoritas etiam tum Justiniani temporibus agnoscitur (*a*).

570. Fiunt non minus quam ante referentibus consulibus, quo casu plerumque consulis nomen, sed aliter quam si lex esset inflexum, praeferunt; crebrius tamen fiunt ex oratione Principis (*b*), quam aut habet ipse, aut quaestores (candidati Principis) (*c*) pro eo recitant. Tum aut a Principe, aut eodem modo nominantur, aut qualicunque designantur. Plurimum oratio illa ad verba recipitur: unde factum est ut ipsa communiter pro senatusconsulto laudaretur; et apparet hinc quam parva etiam differentia inter senatusconsulta et constitutiones, si a forma recedas, esse debuerit, quamque facile temporis decursu hoc genere illud absorberi potuerit.

580. Constitutiones Principum, etsi novum genus est, ex superioribus tamen, jure honorario et civili, exstiterunt. Primum enim Princeps, tanquam magistratus populi Romani, jus dicit sive decernit (*d*), atque edicta proponit (*e*). Edicta illa valent quam diu imperium habet, et ultra, si non a senatu, vel a successore Principis, acta ejus rescinduntur (*f*). Idem deinde Princeps potest et solet, ut quondam excellentes cives Constitutiones. Hugo. pag. 740.

(*a*) Vopiscus. Aurel. Cap. 20. L. 1. C. de senatusc. L. 8. C. de legg. Novell. 62 (*Zeitschr.* II. p. 122).

(*b*) Gaj. II. 285. L. 60. pr. D. de ritu nupt. Vatic. § 158.

(*c*) L. 1. § 2. D. de off. quaestoris.

(*d*) Suet. Aug. 33. Claud. 14. Galba. 7. L. 13. D. Quod metus. L. 3. D. de his quae in test. del.

(*e*) Suet. Claud. 14, 16 et 33. L. 2. D. ad Senatuscons. Vellej.

(*f*) Suet. Claud. 11. Domit. Cap. ult. Conf. Cic. Philipp. XIII. 3. Flor. III. 23.

fecerunt, ac faciunt etiam nunc, consulenti cuique de jure rescribere (a), sive is privatus sit, sive magistratus. Postremo legatis suis provincias administrantibus, et cuicunque jurisdictionem mandet, potest mandata dare (b), nam et hoc veteres populi Romani magistratus in more habuerunt.

581. Est tamen novum in his rebus, quod constitutiones Principum, sive edicta sint, sive decreta, sive rescripta aliaeve epistolae, non quasi vetustate comprobata vim habere dicantur, uti decreta et edicta praetorum atque responsa prudentium: sed statim valere, própter potestatem propriam quae Principi jure data sit. Idque adeo verum est, ut jureconsulti contra rescripta, licet juris rationi minus congrua, non respondeant (c), utque suas ipsi sententias assidue rescriptorum auctoritate confirmare studeant.

Lex regia. Hugo. pag. 720.

582. Est autem data ei illa potestas non moribus duntaxat, quod facile invalescere poterat, cum solus omnia posset, cumque imperium perpetuo haberet, sed etiam lege quae de imperio ejus lata esse dicitur, quae et lex regia appellari videtur (d).

583. Princeps enim per legem imperium accipit (e): quod tamen quam diu fieri perseveraverit, ignoramus.

584. Exstat etiam nunc fragmentum (repertum Ro-

(a) Vid. L. 1. D. de inspic. ventre. L. 3. C. de heredd. instt. (VI. 24). L. 1. C. de leg. (VI. 37). L. 1. C. de verb. signif. L. 3. C. de adq. poss. (VII. 32).

(b) L. 1. D. de test milit. L. 65. D. de ritu nupt. L. 1. D. de coll. et corp.

(c) L. 6. §. pen. D. de pecul. leg. Add. L. 17. D. de jure patronat.

(d) L. 1. D. de constit. princip. L. 3. C. de testam. Conf. etiam. L. 14. D. de manumiss.

(e) Gaj. I. § 5.

mae in aede Lateranensi anno 1342-1358) (*a*) istiusmodi legis, Vespasiani gratia factae (cujus quidem veritas a multis in dubium revocata est): qua illi Principi, praeter ea quae ignoramus, haec tribuuntur. 1°. Ut foedus cum quibus volet faciat. 2°. Senatum uti volet, de quibus rebus volet, habeat. 3°. Ut commendare quos volet magistratum petentes possit. 4°. Ut quaecumque ex republica esse videantur publice ac privatim agat. 5°. Ut certis legibus solutus sit. Quae tamen omnia illi dantur qualia decessoribus ejus (exceptis Caligula atque Nerone), data fuerunt (*b*).

585. Attamen quod ex his atque aliis causis constitutiones Principis vim legis habent, intelligendum est, quoad ipse voluerit: non enim si rescripta non sunt generalia, in omni loco, omnique tempore, et in omni causa valent (*c*); ideoque et de decretis ejus, etsi universe vim legis habere dicuntur, tamen disputatum est (*d*).

## Quaestiones.

1. Qua ratione cessarunt leges? Annon aliquamdiu dicis causa apud urbanam multitudinem in septis recitabantur, ea quae in senatu probata erant? Conf. Dion Cass. Lib. 58. Cap. 20. juncto Vopisc. Tacit. 7. Capitol. Marco. 12. Plin. Panegyr. 63. Tacit. Hist. I. 17.
2. Cur nunc lege, nunc senatusconsulto, nunc edicto nova jura constituuntur? Conf. L. 2. D. ad Sctum Vellej.

(*a*) Vid. Haubold. Epicr. ad Heineccii Antiqq. II. p. 919.

(*b*) Vid. Cramer. D. Vespasianus, sive de vita et legislatione Vespasiani. Ienae. 1785.

(*c*) § 6. I. de jure naturali. L. 3. § 5. D. de sepulcro viol. Cf. etiam L. 9. § 2. D. de heredd. instt. Capitol. Macrino. 13.

(*d*) L. ult. § 1. C. de legg. (I. 14).

3. Cur multo minus de jure civili edixerunt nunc Principes quam rescripserunt?
4. Mandata quid vi et effectu ab edictis differunt?
5. Quid instituit Hadrianus in edictis praetorum? Conf. Const. Tanta § 18. Δέδωκεν § 18. L. 10. C. de condict. indeb. (IV. 5.). Eutrop. VIII. 9. Aurel. Victor. de Caes. 19. L. 5. D. de manum. vind. L. 7. D. de jurisd.
6. An edicti perpetui nomen ad Hadriani operam spectat? Vide supra sect. 265.
7. An post eum Imperatorem edicta praetoria facta esse, constat? Zimmern. § 40. nota 33. Huschke. in *Krit. Zeitschr.* V. pag. 235.

Leges Augusti. De manumissionibus. Hugo. pag. 748.

586. Ex legibus Augusto Principe latis primariae sunt leges quae ad manumissiones pertinent, Aelia Sentia et Fusia Caninia; et lex Papia Poppaea, quae plerasque juris partes comprehendit.

587. Latae sunt illae duae ut manumissiones, quarum inter bella civilia nec finis nec modus fuerat, coërcerentur, eoque effecto populus minus omni colluvione servilis sanguinis corrumperetur. Eo consilio Princeps de numero, conditione, ac differentia eorum qui manumitterentur, curiose cavisse dicitur (*a*).

588. Lex Aelia Sentia definiebat quinam ex manumissione dedititiorum numero haberentur; item qua ratione quoque effectu servus minor triginta annis manumitteretur, ac manumitteret dominus minor viginti (*b*). Eadem cavebat de civitate per causae probationem adipiscenda, ne in fraudem creditorum vel

(*a*) Suet. Aug. 40. App. de bell. civ. I. 60.

(*b*) Ulp. I. 11 seq. Gaj. I. 13, 18, 21. Adde II. 276. Fragm. vet. Jureconsulti. §§ 15 et 18.

patroni manumitteretur (*a*), et de ingrato liberto (*b*). Lata est anno urbis 756.

589. Lex Furia Caninia, lata quinquennio post, manumissiones regit quae fiunt testamento, accurate numerum definiens quem excedere non licet (*c*).

590. Utraque postea tam senatusconsultis quam peritorum disputatione ampliata est (*d*).

591. Lex Julia et Papia hoc nomine primum perlata est anno urbis 762, consulibus suffectis M. Papio Mutilo et Q. Poppejo Secundo. Postquam saepissime jure, legibus, censura, id omni tempore publice agitatum erat, ut nuptiae et proles essent in civitate, cum tamen florente opibus republica coelibatus in dies incresceret, res eadem tentata est tum a Julio Caesare tum ab Augusto. Hic et mores emendare, et civitatem hominibus augere, et aerarium locupletare (*e*) hac una lege conabatur; neque in ulla re magis renitentem hominum aversationem expertus est. Pertulit tamen, et nisi reliqua, pecuniam certe grandem ex ea consecutus esse videtur (*f*).

Lex Julia et Papia. Hugo. pag. 751 et 753.

592. Ad jus privatum maxime spectant quatuor legis capita. I. Lex Julia de maritandis ordinibus. Hoc nomine primum tentata est, tum emendata et anti-

---

(*a*) Ulp. I. 14. VII. 4. Gaj. I. 37.

(*b*) L. 70. D. de verb. signif. Dion. Cass. LV. 13 extr. Nec obstat Tacit. Annal. XIII. 26. L. 6. § 1. D. de agn. et al. lib.

(*c*) Ulp. I. 24 et 25. Gaj. I. 42 seq. et II. 239. Conf. Dionys. Halic. IV. p. 228.

(*d*) Gaj. I. 46 et 47. L. 13 et pass. D. de manum. vind. Tit. D. Qui et a quibus manum.

(*e*) Tacit. Annal. III. 25. Plin. Panegyr. 42.

(*f*) Id. et cap. 28. Suet. Aug. 34. Dion Cass. XLIII. 25. LIV. 16. LVI. 1—10. Adde Horat. Carm. Saecul. vs. 20.

quata, deinde longo intervallo denuo rogata et perlata, tandem anno 762. pars facta legis Papiae Poppaeae. Statuit ut certae aetatis caelibes ex testamento extranei nihil caperent (*a*); ex diverso connubium multis modis ampliavit (*b*), fortasse etiam concubinatum (*c*).

593. II. Lex Papia definivit ut certae aetatis orbi ex testamento extranei semissem duntaxat (*d*), ex testamento conjugis nonnisi decimam aut decimas, et tertiae partis usumfructum caperent (*e*). Multaque addidit propter numerum liberorum privilegia (*f*).

594. III. Quod autem propter has leges non capitur, id caducum fit, id est, in aerarium populi cadit (*g*), et in eadem causa est quod jure communi non capitur (*h*): utrumque tamen si non sit jus antiquum in caducis (*i*), neque ***patres*** qui caduca vindicare possint (*k*). Neque porro caduca fiunt nisi cum suo onere (*l*). Postremo venia legis multis ex causis concessa est (*m*).

(*a*) Gaj. II. 286. Ulp. XVI. 1 et 3. XVII. 1. XXII. 3. Sozomen. Hist. Eccl. 1. 9.

(*b*) L. 23. L. 16. L. 27. L. 44. L. 58. D. de ritu nupt. Ulp. XIII et XVI. 2. Conf. tamen Dion Cass. LIV. 16 et LVI. 7.

(*c*) L. 3. D. de concub.

(*d*) Sozom. l. c. Gaj. l. c.

(*e*) Ulp. XV. L. 2. C. de infirm. poen. caelib. (VIII. 58).

(*f*) Id. et. XXIX. 2. seq. Gaj. I. 194. L. 37. D. de oper. libert. Dion Cass. LVI. 10. L. 2. de minor.

(*g*) Id. XVII. 1. L. 1. § 2. C. de cad. toll. (VI. 51.). Vatic. § 84.

(*h*) Gaj. II. 206. Ulp. I. 21. XXIV. 12.

(*i*) Ulp. XVIII. item I. 21. L. 1. pr. et § 3. eod.

(*k*) Gaj. l. c. L. 89. D. de legat. III. Juvenal. IX. vs. 86. Ulp. XXV. extr. Fragm. de jure fisci. § 3.

(*l*) Ulp. XVII. 3.

(*m*) Id. XVI.

595. IV. Est etiam *ereptorium* ex lege Papia Poppaea, quod indignis aufertur (*a*). Delatoribus pars datur: sed potest quisque se ipse deferre (*b*).

596. Haec etiam senatusconsultis et constitutionibus nunc producta nunc restricta est post (*c*), et a jureconsultis studiose elaborata.

597. Triennio ante legem Papiam, item aerarii causa, lata erat lex Julia de vicesima hereditatium, vectigali a Julio Caesare instituto (*d*), Augusto autem principe instaurato. De testamenti tabulis aperiendis (*e*) cavebat, neque ei suus interpres defuit (*f*). Aliae leges Juliae. Hugo. pag. 752, 765, 768, 771.

598. Ad Augustum porro, certe maximam partem (*g*), referendae sunt leges Juliae judiciariae, sive de judiciis, sive (judiciorum) publicorum et privatorum (*h*), quibus legis actiones sublatae sunt (*i*), et judicia legitima determinata (*k*).

599. Inter leges Julias bene multas de criminibus scriptas nobilis est lex Julia de adulteriis et stupris (*l*),

(*a*) Ulp. XIX. 17. L. 9. D. de his quae ut indignis.

(*b*) Tacit. l. c. Fragm. cit. L. 13 seq. D. de jure fisci.

(*c*) Suet. Claud. 19. Gaj. II. 286. Ulp. XVI. 3 et 4. L. 19. D. de ritu nupt.

(*d*) Vid. auctt. citt. supra 349. Add. Plin. Paneg. 37 et 39.

(*e*) Paul. IV. 6.

(*f*) L. 68. D. ad L. Falcid.

(*g*) Cic. Philipp. I. 8. Suet. Jul. 41.

(*h*) Suet. Aug. 32. Vatic. § 197. L. 9. § 2. D. de recept. L. 2. § 1. D. de judic. L. 1. § 4. D. de lege Jul. amb. L. 4. D. de testib. Adde Gaj. III. 78 et L. 4. C. Qui bon. cedere poss. (VII. 71). L. 3. D. de accus.

(*i*) Gaj. IV. 33.

(*k*) Id. IV. 134.

(*l*) L. 1. D. ad L. Jul. de adult. Horat. Od. IV. V. vs. 22. Martial. VI. Epigr. 7.

quae et ad jus privatum pertinet, capite, quod lex Julia de fundo dotali appellatur (*a*).

Senatusconsulta Augusti. Hugo. pag. 768 et 764.

600. E senatusconsultis Augusti (*b*) memorabile est Silanianum, de bonis publicandis, si heres citius adeat quam de servis quaestio habeatur (*c*).

601. Item senatusconsultum sine nomine de usufructu legato *earum rerum*, quod in principatu Augusti merito collocatur (*d*).

Constitutiones Augusti. Hugo. pag. 769.

602. Edicta ejus non omnia durarunt, veluti ne pater filium militem exheredaret (*e*). Pleraque a sequentibus Imperatoribus renovata et ampliata sunt (*f*). Auctoritate sua magis quam constitutione aliqua fundavit jus fideicommissorum et codicillorum (*g*).

Leges, etc. Tiberii. Hugo. pag. 772.

603. Tiberio principe (post Chr. 19), lex Junia, alias Junia Norbana, facta est (?), qua Latini Juniani introducti sunt (*h*); item lex Visellia (anno 24.), ex qua militia jus Quiritium adquiritur (*i*), et de ingenuitate non impune usurpanda cavetur (*k*). Senatusconsulta: Libonianum (16.) ad legem Corneliam amplian-

(*a*) Paul. II. 21. B. 2. L. 2. L. 12. L. 14. D. de fundo dotali. Gaj. II. 63.

(*b*) Arg. L. 13. D. de SCto Silan.

(*c*) Cic. ad fam. IV. Ep. 12. Tacit. Ann. XIII. 32. et XIV. 42 et 43. Tit. D. de SCto Silan. Paul. III. V. 5.

(*d*) L. 3. L. 5. D. de usufr. ear. rer. coll. Cic. Top. 3 extr.

(*e*) L. 26. D. de lib. et postum.

(*f*) L. 2. D. ad SCtum Vellej. Fragm. de jure fisci § 8. Plin. Ep. X. 71. Ulp. XX. 13. Pr. I. quib. non est permissum.

(*g*) Titt. I. de fideic. hered. et de codic.

(*h*) Ulp. I. 10 et passim. Gaj. I. 22. III. 26 et passim. Conf. Cic. ad Attic. XIV. 12.

(*i*) Id. III. 5.

(*k*) L. un. C. ad L. Viselliam (IV. 21.). L. un. Theod. C. vict. civil. (IX. 20.). Vid. quoque Tacit. Ann. IV. 16.

dam testamentariam (*a*), et Persicianum (34.), quo severitas legis Papiae aucta est (*b*). Constitutiones ejus vix novimus ullas (*c*).

604. Caji Caligulae, cujus acta rescissa sunt,. nihil habemus (*d*). Sed ferax novarum rerum fuit Claudii principatus. Primum occurrunt lex Claudia de legitima mulierum tutela (*e*), et lex (si tamen lex), ne in mortem parentum filiisfam. pecuniae foeneri dentur (*f*). Deinde Senatusconsultum Largianum (42.) de bonis (*g*) Latinorum, aliudque de adsignatione libertorum (*h*) (46); item de honorario advocatorum contra legem Cinciam (*i*), et quod memorabilius est, de nuptiis cum fratris filia (49), ipsius Imperatoris causa, qui ideo forte (senatusconsulto Claudiano,) (51.) senatusconsulto Persiciano obrogavit (*k*). Aliud Claudianum (52?) sexcenties laudatur, de mulieribus quae alieno servo se junxerint (*l*). Celebratissimum vero omnium est senatusconsultum Vellejanum, quod, praemisso ante edicto, ejus tempore factum videtur, de in-

Claudii. Hugo. pag. 774.

(*a*) Coll. leg. Mos. VIII. 7. juncta. L. 9. § 3. D. de lege Cornel. de falsis.

(*b*) Ulp. XVI. 3. Suet. Claud. 23.

(*c*) Conf. L. 41. D. de hered. inst. cum Theoph. ad § ult. I. de vulg. subst. L. 38. f. D. ad L. Jul. de adult. Infra 676.

(*d*) Vid. tamen L. 3. D. de term. moto.

(*e*) Ulp. XI. 8. Gaj. I. 171.

(*f*) Tacit. Annal. XI. 13. conf. L. 1. D. ad SCtum Maced. Suet. Vespas. 11. Infra 606.

(*g*) Gaj. III. 63. § ult. I. de succ. lib.

(*h*) L. 1. D. de adsign. libertis.

(*i*) Tacit. Annal. XI. 7. L. 1. § 12. f. D. de extr. cognitt. Vide tamen Dion. Cass. LIV. 18. Suet. Nero. 17. et Tacit. Annal. XIII. 5. Plin. Ep. V. 21.

(*k*) Ulp. XVI. 3. Tacit. Ann. XII. 7. Suet. Claud. 23 et 26.

(*l*) Tacit. Ann. XII. 53. Conf. Suet. Vespas. 11. Tit. I. de succ. subl.

tercessionibus mulierum (anno 46?) (*a*), Marco Junio Silano et Vellejo Tutore consulibus: a quibus fortasse et lex Junia Velleja nomen habet, ***quae multos casus rumpendi abstulit*** (*b*). Constitutiones quoque Claudii non paucae commemorantur (*c*).

Neronis senatusconsulta. Hugo. pag. 778.

605. Nerone principe neque leges occurrunt, neque memorabiles constitutiones, sed senatusconsulta. 1°. Trebellianum de fideicommissis (anno 62), omnibus notum (*d*). 2°. Memmianum anno post (?) supplendae legis Papiae causa (*e*), de adoptionibus. 3°. Ejusdem legis causa de impari matrimonio, anno ante, Calvisianum (*f*). 4°. Neronianum (67?) de legatis (*g*). 5°. Aliud supplendae legis Corneliae testamentariae causa, de forma externa testamentorum et contractuum (*h*).

Vespasiani. Hugo. pag. 780.

606. In Nerone exstinctis Caesaribus, successit post annum Galbae, Othonis et Vitellii, gens Flavia. Vespasiano Imperatore, per senatusconsultum Pegasianum, effectum est ut in fideicommissis lex Falcidia (*i*), itemque lex Papia (*k*) locum haberent (*l*). An Macedo-

(*a*) Dion. Cass. LX. 27. L. 2. D. ad SCtum Vellej.

(*b*) L. 29. § 6. D. de lib. et postum. Schulting. ad Ulp. XXII. 19

(*c*) Suet. Claud. 23. L. 2. cit. L. 8. D. de adoptt. L. 2. D. Qui sine manum. L. 15. D. ad L. Cornel. de fals. L. 3. § 4. D. de minorr. § 1. I. de SCto Tertull.

(*d*) L. 1. D. ad SCtum Trebell. Gaj. II. 253.

(*e*) Tacit. Annal. XV. 19.

(*f*) Ulp. XVI. 4.

(*g*) Ulp. XXIV. 11. Gaj. II. 127.

(*h*) Paul. V. 25. 6. Suet. Nero. 17.

(*i*) Ulp. XXV. 14.

(*k*) Gaj. II. 286.

(*l*) Conf. quoque idem I. 31.

nianum, quod non ab auctore suo nominatur, ejus sit, quaestio est (*a*).

607. Nervae (qui Flavios excepit) lex agraria laudatur (*b*), et constitutio, ne quis sororis suae filiam uxorem duceret (*c*). Trajanus superiorum Principum privilegia militaria confirmavit (*d*), et senatusconsulti auctor fuit, quo actio tutelae utilis contra magistratus introducta est (*e*). Idem manumissoribus prospexit, ne beneficio Principis jure Quiritium dato Latinorum bonis privarentur (*f*). Ad eum quoque pertinet aenea tabula, quae hodie superest, quae vulgo *alimentaria* appellatur. Novi quidem juris nihil continet, sed prolixam praediorum obligationem, alimentorum nomine factam, ex Imperatoris liberalitate (*g*). Nervae et Trajani constit. et senatusc. Hugo. pag. 712.

608. Multa fuit in jure civili informando Hadriani opera. Senatusconsulta eo auctore facta sunt: de peregrinis, de Latinis et liberis eorum (*h*), et dicitur in hac parte emendasse senatusconsultum Claudianum (*i*); de testamentifactione mulierum (*k*), de usucapione pro herede (*l*), et (si non est idem) de hereditatis petitione (*m*); de testamento non rumpendo per causae Hadriani. Hugo. pag. 782.

(*a*) Suet. Vespas. 11. Conf. supra 604. nota *m*.
(*b*) L. 3. D. de termino moto. Vid. quoque L. ult. D. ne de statu def.
(*c*) Dion. Cass. 68. Cap. 2. et Gaj. I. 62.
(*d*) L. 1. D. de test. milit. Pr. I. Quibus non est permiss.
(*e*) L. 5. C. de magistr. conven. (V. 75.).
(*f*) Gaj. III. 72.
(*g*) Vid. Spangenberg. Tab. pag. 307. Infra 687. qu. 7.
(*h*) Ulp. III. 3. Gaj. I. 30, 47 et 80 seq. item 92. Id. III. 73.
(*i*) Conf. supra 604.
(*k*) Gaj. I. 115 a.
(*l*) Id. II. 57.
(*m*) L. 20. § 6. D. de hered. petit.

probationem (*a*), de fideicommissis coërcendis (*b*), et de legatis quae civitatibus relinquuntur, quod primum Nerva introduxerat (*c*). An Tertullianum ejus sit, aliqua dubitatio est (*d*).

609. Constitutiones ejus laudantur innumerabiles. Excellunt edictum propter vicesimam, quod Justinianus sustulit (*e*), et epistola de fidejussoribus (*f*). Veteranis testari permisit de peculio castrensi (*g*). Specimen fecit decreto suo bonorum adventitiorum filiifam. (*h*), et beneficii inventarii (*i*). Interpretationes quoque ejus memorabiles quaedam occurrunt, veluti de responsis prudentum (*k*), de praeceptionis legato (*l*), de usuris legatorum (*m*), de testibus testamentariis (*n*), aliae.

Divi Pii. Hugo. pag. 786. 610. Divi Pii constitutiones magis quam senatusconsulta commemorantur. Illis asperitatem dominorum coërcuit (*o*), et effecit ut peregrinus possit causam probare (*p*); instituit arrogationem impuberis epistola pon-

(*a*) Gaj. II. 143.
(*b*) Id. II. 285 et 287.
(*c*) Ulp. XXIV. 28.
(*d*) Vid. Heinecc. Antiq. L. III. Tit. III. 3.
(*e*) L. 3. C. de edicto D. Hadr. toll. (VI. 33.).
(*f*) Gaj. III. 121 et 122. § 4. I. de fidej. Conf. tamen Paul. I. 20.
(*g*) Pr. I. Quib. non est perm.
(*h*) L. 50. D. ad Senatusc. Trebell.
(*i*) § 6. I. de heredd. qualit. Gaj. II. 163. Vide praeterea Spart. Hadr. 18.
(*k*) Gaj. I. 7.
(*l*) Id. II. 221.
(*m*) Id. II. 280.
(*n*) L. 1. C. de testam. (VI. 24.) § 7. I. eod.
(*o*) Gaj. I. 53.
(*p*) Id. I. 74.

tificibus scripta (*a*), unde quarta (vulgo) Divi Pii, et impense bonorum possessionem secundum tabulas auxit (*b*), sed coërcuit contra tabulas quam feminae habent (*c*); porro Proculi sententiam de adquirendis legatis probavit (*d*), nec poenae causa relictum valere voluit (*e*); legem Falcidiam vero fideicommissis intulit quae ab intestato relinquuntur (*f*).

611. Multus fuit hic in actionibus utilibus introducendis, inter quas nobilis est quae contra pupillum datur, qui sine tutoris auctoritate obligatus est (*g*).

612. Divus Marcus (in Vaticanis deus Marcus) dicitur magis jus vetus restituisse, quam fecisse novum (*h*); per se tamen illa nova non sunt paucissima. Primum senatusconsulta, seu potius orationes ejus, laudantur: de nuptiis senatorum (*i*), quod ad legem Papiam pertinet, de nuptiis tutoris cum pupilla (*k*), de tutela liberorum patroni (*l*), de transactione super alimentis testamento relictis (*m*), et de feriis (*n*). Accedit senatusconsultum Orphitianum de hereditate materna (*o*). D. Marci. Hugo. pag. 788.

613. Constituit autem (sine senatusconsulti men-

(*a*) Gaj. I. 102.
(*b*) Id. II. 120.
(*c*) Id. II. 126.
(*d*) Id. II. 195.
(*e*) Capit. Pio 7. Conf. supra Sect. 344.
(*f*) L. 18. D. ad L. Falcid.
(*g*) L. 1 et 5 et pass. D. de auct. tutor. Conf. L. 10. D. de obl. et act.
(*h*) Capit. Marco 11. Conf. L. 13. D. Quod metus.
(*i*) L. 16. D. de sponsal. et 16. D. de ritu nupt.
(*k*) L. 60. D. eod.
(*l*) Vatic. § 220.
(*m*) L. 8. D. de transact.
(*n*) Tit. D. de feriis. Jul. Capit. 10.
(*o*) Tit. I. de Senatuscons. Orphit.

tione) ipse, tam solus quam cum fratre adoptivo L. Vero (unde *divi fratres*, item *divi Marcus et Lucius*, tralatitia nomina), aut cum filio Commodo (unde *Antoninus et Commodus*, item *deus Marcus cum filio*), nova in curatione minorum (*a*), et de imperfecta cretione (*b*); instituit vero professiones originum (*c*), praetorem tutelarem (*d*), et bonorum addictionem libertatum servandarum causa (*e*); rescripsit de majori parte creditorum (*f*) (*concordat*); edicto rem alienam a fisco ementi post quinquennium exceptionem dedit (*g*); item exceptionem dedit propter compensationem in strictis judiciis (*h*); vadimonii solennia removit (*i*), et de collegiis cavit, ne quis in duobus esset (*k*). Instituit etiam ut a Consulibus ad Senatum appellatio esset (*l*).

Severi. Hugo. pag. 790. 614. Pertinacis oratio de imperfectis testamentis in Institutionibus laudatur, ut et ipsius abstinentia (*m*). Commodus (ultimus Aeliorum) per se rarissime occurrit (*n*), cum patre sexcenties. Septimius Severus (novae stirpis imperatoriae principium) orationem in se-

(*a*) Capitol. l. c. Vid. etiam Justin. in L. ult. C. de repud. (V. 17.).
(*b*) Ulp. XXII. extr. Conf. Gaj. II. 178.
(*c*) Capitol. l. c. 9: sed adde L. 1. § 3. D. ne de statu defunct.
(*d*) Id. 10.
(*e*) Tit. I. de eo cui libert. causa.
(*f*) L. 8. seq. D. de pactis.
(*g*) § ult. I. de usucapp.
(*h*) § 30. I. de act.
(*i*) Aurel. Victor de Caes. 16. Conf. Gaj. IV. 185.
(*k*) L. 1. § 2. D. de coll. et corp.
(*l*) Capit. Marco. 10. Conf. supra 578.
(*m*) Capitol. Pertin. 7. §§ 7 et 8. I. Quib. mod. testam. infirm. Vid. quoque L. 6. § 2. D. de jure immunit.
(*n*) Vid. tamen L. 6. § 1. D. de agn. et al. lib. Conf. supra 588.

natu habuit, quae partim exstat *(a)*, de potioribus nominandis, aliamque anno 195, cujus item pars exstat *(b)*, de praediis rusticis et suburbanis pupillorum sine decreto non alienandis. Severa ejus epistola est de matre quae tutores non petiit *(c)*; benignum vero rescriptum de usuris tacite fidei commissorum *(d)*.

615. Bassianus (alias Caracallus) cum patre suo perpetuo fere laudatur (*Divi Severus et Antoninus*, aut *Imperator noster cum patre*), ejusque oratio est (206.) de donationibus confirmandis inter virum et uxorem *(e)*. Plurima in jure civili mutavit pecuniae quaerendae causa. Namque ex vicesimis (manumissionum et hereditatium) non modo decimas fecit, sed etiam jus vindicandi caduca sustulit, et immunitates diminuit quas lex Papia dederat, et vero universum jus hereditatium ab intestato coarctavit *(f)*; praeterea ut vectigal fructuosius esset, omnibus qui in orbe Romano erant civitatem Romanam attribuit *(g)*. Quae tamen maximam partem a successore ejus Macrino sublata esse dicuntur *(h)*.

Antoninus Caracalla. Hugo. pag. 792.

616. Severus Alexander in primis utebatur Jurisperitorum consiliis, multaque salubriter publice emen-

Alexander. Reliqui. Hugo. ibid.

(a) Vatic. § 158.

(b) L. 1. § 2. D. de reb. eor. qui sub tutela.

(c) L. 2. § 2. D. Qui petant tutores.

(d) L. 18. D. de his quae ut indignis.

(e) L. 32. D. de donatt. inter virum et uxorem.

(f) Dion. Cass. per Xiphil. 77. 9. Ulp. XVII. 2; conf. supra 593 seq. Ulp. Coll. ima parte.

(g) Dion. Cass. l. c. L. 17. D. de statu hom. Conf. Spartian. Severo initio. Legatur omnino Haubold: ex constitutione Imp. Antonini quo modo qui in orbe Romano essent, cives Romani effecti sint (Lipsiae 1819.).

(h) Dion. Cass. 78. 12.

Digitized by Google

davit; in privato vero jure vix nova constituit. Habemus tamen rescriptum ejus quo patriae potestati certi fines adsignantur, aliudque laudatur de inofficiosis donationibus (*a*). Dicitur quoque praedia dedisse, quae jure militari ad heredes transirent (*b*).

Diocletianus. Gordianus Hugo. pag. 965. 617. Rescripta ejus ingenti numero habemus, in qua re, praeter Diocletianum, a nullo superatur. Diocletiani enim ultra mille et ducenta in Codice Justiniani exstant, Eodem nomine etiam Gordianus tertius memorabilis est, qui prope trecenta reliquit (*c*). Sed in omnibus illis rescriptis quid quantumve novi sit, nullo modo dici potest; ne de illo quidem Diocletiani de rescindenda venditione ob non justum pretium, quod Recentiores tantopere extulerunt (*d*). De Aureliano refertur, quod ingenuas concubinas habere vetuerit (*e*).

---

(*a*) L. 3. C. de patr. pot. (VIII. 47.). L. 87. § 3. D. de legat. II.

(*b*) Lamprid. Alexand. 58.

(*c*) Exempli causa vide L. un. C. Etiam ob chirogr. (VIII. 27.). Item quam Justinianus refert, beneficii inventarii praenunciam, in L. ult. pr. C. de jure delib. (VI. 30.).

(*d*) L. 2. L. 8. C. de rescind. vend. (IV. 44.). Vid. quoque Coll. VI. 4.

(*e*) Vopisc. Aurel. 49.

# CAPUT II.

## DE JURISPRUDENTIA.

618. Incidit in haec tempora aurea aetas jurisprudentiae Romanae. Causae quibus debetur partim erant, aut praeparatae erant, superiori aetate: moribus nimirum populi, et institutis quibusdam publicis ac privatis; nunc vero accedit proprium saeculi ingenium docti et litterati, jurisprudentiae, quae maxime liberalibus studiis laetatur, felicissimi. Invalescit hac virili populi aetate, post quam bellicosa ac seditiosa libertatis tempora praeterierunt, accuratius rerum noscendarum studium. Doctrina et docti viri summo in honore habentur, praesertim in aula Caesaris *(a)*; et facit mutatus reipublicae status, ut qui dicendo nunc inclarescere non possint *(b)*, ad scribendum magis animum appellant. Itaque et Jureconsultorum scribendi studium nunc occurrit feracissimum. Praeterea educatio nobilium plerûmque adolescentium liberalissima esse solet, multaque complecti *(c)*: quo efficitur ut juri operam dare non soleant nisi utilissimarum rerum studiis imbuti atque praeparati; quin imo ipsa jurisprudentia institutione florere coepit. Stationes, et scholae juris publicae jam habentur et frequentantur *(d)*. Hugo. pag. 817.

*(a)* Suet. Tib. 70. Claud. 41 et 42. Aurel. Victor de Caes. 8. Spartian. Hadrian. 16. Capitol. Pio 11. Marco 3.

*(b)* Dialogus de Clar. orat. 37.

*(c)* Vid. Capitol. Marco 2 et 3.

*(d)* Vid. infra 634.

Philosophia. Hugo. pag. 818.

619. Philosophiae, id est divinarum atque humanarum rerum studio (*a*), incumbere jureconsultos Romanos, jam priori aetate significavimus, et in hac magis notandum est, quo nunc vis ejus studii, licet moralis minus quam naturalis, in ipsa etiam jurisprudentia quaedam appareat. Nec tantum id affirmant de se ipsi (*b*), ac scriptis suis miscent philosophorum sententias (*c*), sed etiam placita unum et alterum occurrunt, quae in jure informando secuti esse videantur (*d*).

620. Interim philosophiam, sive sapientiae studium, etsi maximopere profitentur, non tamen profitentur se philosophos. Non docent sapientiam; neque cultu aut vivendi more a reliquis mortalibus secerni volunt: imo hoc affectantes rident atque contemnunt (*e*).

621. Stoae rationem eos praetulisse, quod plerisque placuit, magis probabile est, quam probari potest. Probabile est, siquidem illa vitae civili et reipublicae necessitatibus magis se accommodet quam Epicuraeorum placita (*f*), neque Academicorum scepticismus his

(*a*) De germana philosophiae notione vide maxime: Initia philosophiae Platonicae, auctore Phil. Guil. Van Heusde. Pars prior. Trajecti ad Rhenum. 1827. pag. 46 et 47.

(*b*) L. 1. § 1. D. de just. et jure.

(*c*) L. 2. D. de legib. L. 3 et 6. eod. L. 76. D. de judiciis. L. 2. D. de nundin.

(*d*) L. 1. § 1. D. de ventre inspic. juncto Plutarch. de placit. phil. V. cap. 15. — L. 30. D. de usucapp. j. eod. de conjug. praec. 17. — L. 68. D. de usufr. j. Cic. de finib. III. 20. — In primis conf. Gell. III. 16.

(*e*) L. 6 et 7. D. de inj. rupto. L. 8. § 4. de vac. et excus. mun. L. 1. § 4. D. de extr. cognit. L. 6. § 7. D. de excusatt. Cum L. 1. §. 1. D. de just. et jure conf. Plato. Phaedr. pag. 326. ed. Bipont. Vol. X.

(*f*) Gell. X. 22 extr. Diogen. Laërt. in Zenon. 64. Cic. de finib. III. 20. Tacit. Ann. XIV. 57.

adrisisse videatur, quibus ex incertis certos facere perpetuum officium est *(a)*.

622. Accedit ingenium et antiqua virtus Romanorum in jureconsultis Romanis superstes, cui apprime congruebat illa animi constantia, quam Stoïci praecipiebant ac prosequebantur *(b)*.

623. Ex diverso sentèntiae quae ex Digestis quasi Stoam referentes citantur, rem non conficiunt, quae istiusmodi fere sunt quae et aliter philosophantibus facile probari possent *(c)*.

624. Item fieri non poterat quin in magno numero, magnoque temporis intervallo, diversam sectam sequentes invenirentur; et Trebatium (non item Alfenum Varum) Epicuraeum fuisse, certe credibile est *(d)*.

625. Ceterum singularum etiam partium, quae apud Veteres in rebus noscendis discernuntur *(e)*, studium, id est, dialecticae, Naturae, doctrinae moralis, in scriptis jureconsultorum conspicuum est *(f)*.

---

*(a)* Cic. ad famil. VII. Ep. 12. Conf. Gell. XI. 5.

*(b)* Cic. Parad. III. cap. 1. Conf. etiam L. 18 pr. D. de aedil. edicto.

*(c)* Vid. l. l. c. c. supra 619. Plura habet Merill. Observ. Lib. I. Adde Terpstra. de philosophia veterum JCtorum. Franeq. 1767. — Boers. de anthropologia Jurisconsultorum Romanorum qua tenus Stoica est. Lugd. Bat. 1778. — *Orloff. Ueber den Einflusz der stoischen Philosophie auf die römische Jurisprudenz. Erlangen.* 1797.

*(d)* Cic. ad fam. l. c.

*(e)* Diogenes Laërtius Prooem. pag. 10. (Huebner. 1828). Cic. Academ. I. 5.

*(f)* L. 88. D. ad L. Falcid. L. 65. D. de reg. jur. L. 177. D. de verb. signif. Cic. ibid. II cap. ult. L. 124 eod. — L. 12 D. de statu hom. Paul. IV. 9. 5. L. 68. ad L. Falcid. L. 3. si pars hered. L. 30. de usucapp. L. 23. § 5. de rei vind. L. 5. § 1. eod. (de eo loco conf. utique Molineus Tract. contract. usur. Quaest. C. n°. 775. Opp. T. II). L. 19. § 18. de auro. arg. mundo. L. 1. de flumin. L. 10. de extr. crim. — L. 1.

Doctrina. Linguae peritia. Hugo. pag. 826. 626. Neque elegantioris doctrinae, historiae (*a*), eloquentiae (*b*), poëseos (*c*) non plura documenta occurrunt.

627. Postremo et utriusque linguae studio (*d*), et orationis Latinae puritate, eos excelluisse prae sui temporis hominibus, cum scriptis iisdem, utut mutilatis, declaratur, tum id propria artis quam tractabant ratione, antiquariae et historicae, sponte efficiebatur.

Mores. 628. De moribus quoque plurium jureconsultorum, de virtute et constantia, quae non magis libera republica, in Q. Mucio, P. Rutilio (*e*), Servio Sulpitio (*f*), Aulo Cascellio (*g*) lucebant, quam hoc tempore in Labeone (*h*), Nerva patre (*i*), Papiniano (*k*), aliisque, praeclara quaeque commemorantur; quod utrum studiis eorum qui se justitiae sacerdotes, aequitatis dispensatores, regularum custodes continuo prae-

---

L. 3. L. 11. D. de just. et jure. L. 9 et 25. de legg. L. 31. depositi. L. 42. de ritu nupt. L. 9. § 1. de lib. et post. L. 13 eod. L. 15. de cond. indeb. L. 32. L. 90. de reg. juris. L. 42. de verb. signif.

(*a*) L. 5. § 3. D. de captiv. et postlim. L. 233 f. D. de verb. signif. L. pen. D. sol. matr.

(*b*) L. 2. D. de legg. L. 16. § 6. D. de poenis. L. 39. eod. L. 7. § 4. D. Quib. ex causis in possess. et L. 96. D. de verb. signif.

(*c*) § 1. I. de donatt. § 2. I. de emt. et vend. § 1. I. de lege Aquil. L. 52. D. de legat. III. L. 9. D. de supell. leg. L. 4. § 6. D. de gradib. L. 13. § 1. D. ad L. Jul. de adult. L. 16. § 8. D. de poenis. L. 236. D. de verb. signif. — L. 6. § ult. D. de div. rer. L. 65 pr. D. de verb. obl.

(*d*) Conf. L. 9. § 3. D. de jure dot. L. 4. § 6. D. de grad. Tit. de verb. signif. passim.

(*e*) Cic. de Off. II. 13.

(*f*) Id. Philipp. IX. 6.

(*g*) Val. Maxim. III. VIII. 5. VI. II. 12.

(*h*) Gell. XIII. 12. Dion. Cass. LIV. 15. Pomp. § 47.

(*i*) Tacit. Annal. VI. 26.

(*k*) Spartian. Severo 21.

stabant, an Stoïcae sapientiae quam prosquebantur, aliive cuilibet causae adscribendum sit, dici non potest. Ex diverso assentatores dominantium (*a*), aliisve vitiis dediti (*b*), inter illos illustres viros, unus aut item alter, non desunt.

Superiorum effectus.

629. Effectum est illa saeculi doctrina et jureconsultorum eruditione, ut jurisprudentia ornatior habeatur, generosior, subtilior, copiosior. Docetur quandoque, quae moribus et legibus constituta etiam philosophiae praeceptis consentiant, quaeve dissideant vel adversentur (*c*). Docetur vitam actiosam antiqui hominis Romani esse Naturae congruam, et a philosophis commendari: cum homo sit *τῇ φυσεὶ πολιτικὸν ζῶον*, animal civile, non ad societatem duntaxat vel congregationem, sed ad civitatem quoque natum (*d*). Ipsa jurisprudentia nunc ars boni et aequi, nunc divinarum atque humanarum rerum notitia appellatur, publica ac privata aeque complectens. Jus universum tribus moralibus praeceptis concluditur. Aequitas non minus in jure civili regnare incipit, quam regnavit semper in jure praetorio (*e*). Accuratior rerum cognitio (*f*) cum dialectica conjuncta novas juris differentias, novasque regulas parit, eaque facit ut novae species, quae in amplissimo imperio infinitaque necessitudinum ac negotiorum varietate assidue cumulantur, salva ju-

(*a*) Tacit. Annal. III. 75.

(*b*) Id. XIII. 30.

(*c*) L. 1. § 3. D. de just. et jure. L. 31. D. depos. L. 42. D. de verb. signif. L. 32. D. de reg. juris. L. 4. D. de statu hominum.

(*d*) Cic. de finib. III. 20. IV. 2 extr. L. 2. D. de legib.

(*e*) L. 8. § 22. D. de transactt. L. 14. D. de cond. indeb. L. 4. § 3. D. de pactis. L. 90. D. de reg. juris.

(*f*) Conf. Pompon. § 47: *qui et ceteris* e. r.

ris analogia continuo accommodentur superioribus. Universe tamen jurisprudentia Romana ex vitae usu potissimum locupletatur, neque a stirpe alienatur unde orta est: est *civilis* sapientia, in qua legem dat summam hominum utilitas.

### Quaestiones.

1. Quibus rebus fit ut in quoque populo crescat laete ac floreat jurisprudentia?
2. Quibus causis deberi videtur juris Romani praestantia? Legatur Savigny. *Vom Beruf unsrer Zeit für Gesetzgebung und Rechtswissenschaft. Heidelb.* pag. 31 ima.
3. Generosa simplicitas cum sublimitate conjuncta, quae in Antiquitatis universae operibus, praesertim artium ac literarum, splendet, num in jure civili Romanorum conspicitur?
4. Si hoc mature legum Codice conclusum fuisset, an perinde crescere, seseque justo more explicare potuisset?
5. Quid sibi vult vulgatum illud: jurisprudentiam esse divinarum atque humanarum rerum notitiam? Estne Romana an Graeca illa definitio?
6. An monarchia plus favet juris civilis incrementis quam forma reip. popularis?
7. Cur Athenis nunquam splenduit jurisprudentia? Cf. Cicero de Orat. I. 45.
8. Cur tam parva erat Romae vis philosophiae ad juris civilis loca informanda, quae hodie apud nos est maxima?
9. An certo constat Trebatium Epicuraeum fuisse? In L. 21. pr. D. de furtis an Stoïcum placitum subest: ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα? Conf. Horat. Epist. I. 16. v. 55. Serm. I. 3, 16.
10. Num ex L. 76. D. de judiciis planum est Alfenum Varum Epicuraeum fuisse? Conf. Seneca Ep. 58.
11. Num definitio in § 1. I. de reb. corpor. a Stoïcorum

doctrina aliena erat? Conf. Diogenes Laërt. Zenon. 70. cum Seneca Ep. 106. Gell. V. 15.

12. An constat Stoïcorum dogma quandoque aliis jureconsultorum Romanorum placuisse, aliis non? Conf. Plutarch. de placit. phil. V. 23 cum Ulp. XI. 28.

13. Subtilitas disserendi et in argumentando constantia, cum singulari brevitate conjuncta, qua scripta illorum jureconsultorum cernuntur, quid causae habuisse videtur? Num eam ex mathematicis studiis, quasi scilicet his potissimum mens acuatur, contraxerunt? Conf. Cic. Tusc. I. 2. Leg. Terpstra. dissert. cit. Cap. IX. Nonne potius ex disciplina Stoïcorum? Conf. id. Parad. I. 1. Tuscul. IV. 5.

14. Estne damnanda illa subtilitas quasi nimia ac misera diligentia? (Nempe Periti magis populi utilitatibus quam suo artificio studere debent!) an vero optabilis veri et justi custodia est? Conf. Kant. *Politische Meinungen*, initio.

15. An jurisprudentiae historicae operam dederunt jureconsulti Romani? Cur minus quam hodie?

16. Cur Homerus tam crebro citatur? Quî potest ille in jure auctoritatem habere?

17. An jus L. 5. § 2, item L. 23. § 5. D. de rei vindic. recte a summo Grotio reprehensum est? Conf. Grot. de jure belli et pac. II. VIII. 18 et 21.

18. Unde purior et minus fucata oratio jureconsultorum Romanorum explicanda est?

19. Numquid in studiis jureconsultorum est quod conducat ad virtutis amorem? Num plerique celebriores in Historia Hodierna jureconsulti justi viri fuerunt, ac saepe praeclara constantiae exempla ediderunt? Vid. *Dialogue des Avocats, de Loisel*, apud Camus. *Lettres.* T. I. pag. 219, 248, 263 nota 1, et passim.

20. Unde tam ineptas etymologias protulerunt veteres jureconsulti: scientes an ignoratione lapsi?

Digitized by Google

Juris exercitio. Hugo. pag. 853. 630. A nobiliori quoque jurisprudentiae ratione repetendum videtur, quod forenses homines nunc a scribentibus ac respondentibus jureconsultis magis propriis nominibus discernantur. Habentur jam adsessores, sive juris studiosi, qui magistratibus adsident (*a*), advocati causas orantes (*b*), tabelliones atque pragmatici, qui potissimum instrumenta formant, libellos concipiunt, testationes consignant, testamenta ordinant, scribunt (*c*), cet. mercedem quisque suam sive salarium accipientes (*d*).

Officium Jureconsultorum. 631. Responsa autem nunc non minus scripta dantur quam voce, ac signata plerumque ad judices (*e*). Novaque etiam nunc hoc pacto introducuntur (*f*). Utrum vero major sit facta quorumdam jureconsultorum auctoritas, ex auctoritate Principis respondentium, quibusve id prae aliis permissum sit, obscura et obsoleta quaestio est (*g*).

632. Ex diverso nova accedit opera jureconsultorum eaque illustrior. Namque Principem non tantum jus civile docent (*h*), ejusque familiaritate utuntur (*i*), sed etiam illi solent esse a consiliis. Princeps enim, ut magistratus populi Romani libera republica, suum

(*a*) Tit. D. de off. adsess.

(*b*) Tacit. Orat. Cap. 1 initio.

(*c*) L. 9. § 4 seq. D. de poenis. Suet. Nero 32.

(*d*) L. 4. D. de extr. cognitt. Lamprid. Alexand. 46.

(*e*) Pomp. § 47.

(*f*) L. ult. D. de jure fisci. Gajus passim. Conf. infra 635.

(*g*) Pomp. l. c. § 8. I. de jure nat. gent. et civ. Gaj. I. 7. Const. Deo auct. § 4. Vid. Zimmern. I. § 54. et auctt. citt. Adde Huschke. *Krit. Zeitschr.* V. pag. 241.

(*h*) Capitol. Marco. 3. Id. Maxim. Jun. 1.

(*i*) Pomp. l. c. Spartian. Hadr. 4. L. 17. D de jure patron.

quoque consilium habet; neque ut illi repentinum, verum perpetuum; neque juris tantum dicendi causa, sed etiam constituendi, et quod de omnibus fere reip. partibus consulitur.

633. Jam Augustus rei initium fecit, qui dicitur codicillorum instituendorum causa convocasse sapientes viros (*a*). Hadrianus in consilio habebat Celsum, Neratium, Julianum (*b*). Antoninus Pius peritis usus est Maeciano, Marcello, Javoleno, aliisque (*c*). D. Marcus Scaevola utebatur (*d*). Alexander vero nullam constitutionem sacravit sine viginti juris peritis (*e*). Et hic mos etiam tum Diocletiani tempore, propter non vulgarem, quae in ejus rescriptis cernitur, juris peritiam, mansisse videtur.

634. Item alia nova occupatio docere est. Quod nunc non modo fit ut ante, cum juvenes consultationibus tantum, et ad consuetudinem jureconsulti cujusque celebrioris, admittebantur; sed tempus ad id seponitur. Nec tantum Labeo et Sabinus suos auditores habuisse dicuntur paulo amplius (*f*), sed etiam passim praeceptores nominantur ac scholae (*g*), quae instituendi atque docendi nomina sunt (*h*). Deinde juris professores, honorarium accipientes, tam Romae laudantur Institutio. Hugo. pag. 829.

(*a*) Pr. I. de codicill.

(*b*) Spartian. Hadr. 18.

(*c*) Capitol. Pio 12.

(*d*) Id. Marco 11. L. 17. cit.

(*e*) Lamprid. Alex. 16 et ult.

(*f*) Conf. Schilling. pag. 348.

(*g*) Apud Gajum. Vid. quoque L. 32. D. de damno infecto. L. 28. D. de reb. auctor. jud. possid. Lampr. l. c. Capitol. Marco 3.

(*h*) Cic. de Off. II. cap. ult. de Orat. II. 7. Festus *scholae*.

quam in provinciis (*a*), et cum philosophiae magistris comparantur; eorum quoque mentio est qui studiorum causa Romae morantur, etiam civilium (*b*). Plane media hac aetate jam scholas juris fuisse publicas, quasi gymnasia vel academias, constat, nisi Romae (*c*), at certe Beryti in Syria (*d*), quae scholae Justiniani tempore manebant. Postremo et librorum quorundam descriptio id arguit, eos docendi causa esse compositos, veluti Gaji commentarios, aliosque Institutionum libros; nec tamen constat methodum sive tradendi ordinem, a Justiniano abrogatum (*e*), non hoc tempore posteriorem esse.

## Quaestiones.

1. Juris studiosi cum nominantur an perpetuo adsessores significantur? An hoc nomen *philosopho* potest comparari?
2. Quid jam differunt *advocati* ab iis qui priori aetate sic appellabantur?
3. Tabelliones, tabularii, notarii, qui nunc passim occurrunt quales sunt? L. 1. § 6. D. de extr. cognit. Capitol. Marco 9.
4. Quid est *publice scribere* apud Pomponium?
5. Cur dabantur responsa signata?
6. Quid constituerunt de responsis jureconsultorum Augustus, Tiberius, Hadrianus? Quid voluit Caligula effi-

(*a*) L. 6. § 12. D. de excus. L. 1. §§ 4 et 5. D. de extr. cognitt.

(*b*) Vatic. §§ 150 et 204. L. 17. D. de reb. cred.

(*c*) Gell. XIII. 13. L. 6. § 12. cit. L. un. C. de studiis liber. Urb. Romae (XI. 18.). Rutilius Numant. Itin. I. vs. 207. Augustin. Confess. VI. 8.

(*d*) Thaumaturg. Orat. panegyr. in Originem. Paris. 1622. p. 57. Diocl. in L. 1. C. qui aet. vel. prof. se exc. (X. 49.). L. 6. C. de prof. et med. (X. 52.).

(*e*) Const. Omnem.

cere? Vid. Abegg. de Jurisprudentia apud Romanos sub primis Imperatoribus. Vratisl. 1827.

7. An consistorium Principis jam est, aut initium ejus? Conf. Lamprid. Alexand. 16 et ult. Ecquid differt ab auditorio? L. 40. D. de reb. cred. L. 18. § 1. D. de minorr.
8. Num et aliunde constat rescripta Imperatorum plerumque ope consiliove juris peritorum facta fuisse? Lamprid. Alexand. 15 extr. L. 17. D. de jure patronat.
9. Quare credibile est etiam Romae hoc tempore scholas publicas juris haberi?
10. *Stationes Romae jus publice docentium* quales fuisse videntur? Conf. Tertull. Apologet Cap. 3.
11. Quorundam librorum aut titulus aut dispositio num significat illos libros docendi instrumenta fuisse?
12. Numquid ad eam quaestionem facit comparatio aliarum Institutionum, veluti Quinctiliani, et Lactantii? Conf. Lactant. Inst. I. 1. pag. 6 (ed. Bipont.) Quintil. Prooem.

635. Cum illo pleniori docendi officio, quo nunc jureconsulti Romani funguntur, orta est quoque scholarum discrepantia, quae ab initio hujus aetatis comparet, non vero multum ultra Gaji tempora, id est Antoninorum, durasse videtur. Primum diversas velut sectas fecerunt Labeo et Capito (*a*). Labeo incorrupta libertate populo, Capito obsequio suo dominantibus gratus erat (*b*): invicem se amare vix poterant (*c*). Consequens erat, ut qui alterum sectarentur auditores, alterum non frequentarent. Nec eodem modo disputa- Scholae. Hugo. pag 832.

(*a*) Pomp. § 47.

(*b*) Tacit Annal. III. 75; in primis vid. ibid. 70. Add. Sueton. Aug. 54. Dion Cass. LIV. 15.

(*c*) Conf. Gell. XIII. 12.

bant. Labeo ceteris sapientiae operibus, id est philosophiae partibus (*a*), operam dederat, ejusque doctrinae fiducia, ut et ingenii qualitate, plurima innovare instituit; Capito vero in his quae ei tradita fuerant perseverabat (*b*). Illa porro scholarum sejunctio perpetuata est. Labeoni Nerva et Proculus, Capitoni Sabinus et Cassius, utrobique porro alii aliique successerunt. Non tamen differentia mansit eadem. Vix enim Proculianorum sententiae aut doctrina magis cernuntur, aut novandi studio. Solum videntur illi magis ex ratione juris respondisse, dum Sabiniani id quod receptum erat, ac traditum lege, aut edicto, aut libro, aut constitutione, pressius sequebantur (*c*). Eaque erat interna differentia. Externa vero haec. Quidam jurisconsulti doctorem audiverant a Labeone, aut Nerva, aut a quolibet successore ejus institutum, ejusque opiniones in respondendo, docendo, scribendo propagabant (*diversae scholae auctores*, *Proculiani*); alii contra Capitone, aut Sabino, aut Cassio usi, uti Gajus, praeceptorum suorum sententias profitebantur (*Sabiniani*, *Cassiani*, *Cassiana schola*, *nostri praeceptores*) (*d*). Semper tamen erant qui neutrum sequerentur, nec tamen ideo alterius velut mediae scholae auctores; nec quisque Sabinianus omnia Sabini placita probabat, neque Proculianus Proculi (*e*). Praeterea in quaque schola jus assidue excolebatur, et ut novae in dies quaestio-

(*a*) Vid. tamen id. Cap. 10.

(*b*) Pomp. l. c.

(*c*) Dirksen. *Beyträge:* pag. 46 et 48. nota 102 *a*. et 144. Exempla habet pag. 50 seq.

(*d*) L. 5. D. de manum. vind. Plin. VII. Ep. 24 extr. L. 138. D. de verb. oblig. Gaj. passim. Ulp. XI. 28.

(*e*) Conf. Gaj. II. 218.

nes dissensionesque accedebant (*a*), ita veteres dirimebantur (*b*). Postremo praeponderante forte quorundam jureconsultorum praestantia effici potuit, ut discrepantium scholarum voces quandoque penitus silerent (*c*).

### Quaestiones.

1. Num vim aliquam habuerunt scholarum dissensiones in jurisdictionem et judicia? Vid. Dirksen. pag. 157
2. Num quae similia occurrunt in jurisprudentiae recentioris historia? Legatur Rogerii Beneventani de dissensionibus dominorum opusculum. ed. Haubold. Lipsiae. 1821.

**636.** Libri de jure scripti hoc tempore multitudine, modo, varietate, rerum copia differunt a superioribus; nec minus multa nunc propter juris rationem quam exercitationem scribuntur. Ceterum illa omnia ad certa genera revocare difficillimum sit. Mere theoretica sunt sine dubio Institutiones, quarum multas, vario quidem librorum numero, scriptas esse novimus; item Regularum vel Definitionum libri. Haud scio an ad id genus referenda quoque sit duodecim tabularum interpretatio Labeonis, item Gaji. Ex diverso mere forenses sunt Quaestionum et Responsorum libri, de casibus, de cautionibus sive heurematicis, decreta, atque imperiales sententiae. Plerique tamen ita comparati sunt, ut et studiis et foro aeque serviant. Libri. Hugo. pag. 838.

**637.** Constat quoque opera quaedam artificiose ordinata fuisse, in quo genere sine dubio Institutiones censendae sunt, Digesta (non etiam Pandectae), atque gran-

(*a*) Pompon. l. c. *auxerunt*.
(*b*) Dirksen. pag. 130, 135.
(*c*) Id. pag. 144.

diora illa opera multorum voluminum ad Sabinum, et ad Edictum, ex quibus Justinianus suum ***jus enucleatum*** implevit. Alia vero habentur magis dissoluta: casuum, quaestionum, et responsorum libri, variae lectiones, opiniones, disputationes, Pandectae, Membranae, Manuales, Enchiridia. Pleraque tamen et per titulos et rubricas disposita sunt *(a)*.

**638.** Quaedam item sunt generalia, ut illa quae diximus, ad Sabinum et ad Edictum; quaedam specialia, puta ad legem aliquam aut senatusconsultum, maxime ad legem Juliam et Papiam, quae tamen quandoque grandiori operi insunt *(b)*; tum de uno juris loco, veluti de manumissionibus, de ritu nuptiarum, de excusationibus, de testamentis, de legatis, de verborum obligationibus; de multorum magistratuum officiis, aliisque partibus juris publici: de re militari, de censibus, de muneribus publicis, de jure fisci; item de juris criminalis partibus: de adulteriis, de poenis, de poenis militum, cet.

**639.** Multa porro se multaque ad scripta superiorum referunt: qualia sunt ad Sabinum, ad Plautium aut ex Plautio *(c)*, ad Q. Mucium aut ex Q. Mucio *(d)*, item ad Cassium, ad Vitellium; deinde epitomae, quales Paulus ex Alfeno et Labeone fecit, et notae, quas idem Paulus ad Papinianum *(e)*, et Scaevola ad Marcellum scripsit, singulari brevitate verborum.

*(a)* Vatic. § 227.

*(b)* Ibid. § 298.

*(c)* Ibid. § 82.

*(d)* Gaj. I. 188.

*(e)* Conf. Constantini constitutio in Theodosiani Codicis fragment. ed. Clossius. Tubingae. 1824. pag. 35, *de responsis prudentum;* et apud Wenck. o. c. supra Prooem. 17.

640. Non omnes libri Latine scribuntur, sed et quidam Graece, etsi id in jure minus quam in alio literarum genere usitatur: namque jurisprudentia Romana ars est, cui Graecorum sermo non habet justa vocabula (a). Exstant tamen Graeca ex libris Modestini de excusationibus non ita pauca; nonnulla etiam ex Papiniani libro singulari de officio aedilium (b). Titulos Graecos non minus Latinis libris praeponunt quam reliqui scriptores.

641. Postremo quidam libri retractati editione secunda (c), quidam post mortem auctoris, prodierunt (d).

## Quaestiones.

1. An nimia erat et prorsus mirabilis Romanorum jureconsultorum scriptitandi assiduitas? Quid causae habere potuit? Num ea re recentiores, Antonium Fabrum aut Christianum Thomasium, vicisse videntur?
2. Quaenam est rerum dispositio in Ulpiani et Pauli libris ad Sabinum, item ad Edictum; num in utrisque eadem? Vid. Jacobi Gothofredi Series librorum edicti perpetui in *Quatuor fontibus.* (in Thesauro Ottonis III. pag. 242 seq.).
3. Quid de illa existimemus quae in Gaji Institutionibus, et Ulpiani fragmentis habetur: estne praestabilis? Numquae de origine ejus conjectura capi potest? Estne philosophici quid in ea dispositione? Num in Digestis imago ejus perlucet aliqua?
4. Num magni fecerunt artis formam jureconsulti Romani?

(a) Ut dicit Modestinus in L. 1. § 1. D. de excusatt.
(b) L. un. D. de via publ.
(c) Vatic. § 247. Const. *Cordi nobis* § 3.
(d) Gell. XIII. 10.

Conf. Gaj. I. 188. II. 183, 191. IV. initio. L. 1. D. de conf. tut. L. 1. D. de suspect. tut.

5. Quid est Digesta? Cic. de orat. I. 42, II. 19. Plin. Ep. III. 10. Cur Tertullianus Novi Testamenti libros Digesta nominavit? (adv. Marc. IV. 3.)
6. Quid est Pandectae? Conf. Gell. XIII. 9. Plin. N. H. Lib. I. pag. 8. (ed. Bipont).
7. Quid est *titulus*, quid *rubrica?* Cur illa nomina usitatiora sunt apud jureconsultos? Conf. L. 2. f. D. de interd. Coll. Mos. passim. Vatic. § 90, 91 et 227. Juvenal. Sat. XIV. vs. 192. Persius Sat. V. vs. 90.
8. *Ad Sabinum*, *ad Ursejum Ferocem*, an utique significant istiusmodi auctoris explicationem agitari, nec vero meram dedicationem? Conf. Lamprid. Heliogab. cap. 16. L. 10. § 5. quibus modus ususfr. Coll. XII. 7.

Jureconsulti. Hugo. pag. 877.

642. Jureconsulti hujus aetatis ex ingenti numero nobis maxime notabiles sunt: Gajus, Papinianus, Ulpianus, Paulus, Modestinus. Horum enim scripta non tantum durarunt, ac vim habuerunt aliquam in institutionem et in usum forensem posteriorum temporum, ut multorum praeterea, quos longum est enumerare; sed etiam postea (cum auctoribus a se citatis) Valentiniani III. lege (*a*) majorem auctoritatem acceperunt, et quisque eorum praeterea aliqua re propria memorabilis est, ut jam demonstrabimus.

Gajus. Hugo. pag. 878.

643. Gajus enim (vixit D. Marci temporibus (*b*), ac Sabinianum se profitetur, sed patriam, praeceptorem, adeo nomen ignoramus) eo praestat, quod ab *Institutionibus* ejus, Justiniani tempore et ante, universae Juris institutionis exordium capiebatur, ut etiam nunc capitur. Institutiones illas habemus hodie triplici figu-

(*a*) L. un. Theod. C. de respons. prud.

(*b*) Gaj. II. 195. Conf. id. I. 102. II. 127.

ra. 1°. Barbaras a Visigothis in rem suam conversas (*a*). 2°. Constantinopolitanas multis aliis rebus antiquis et novis refertas. 3°. Veronenses, quae sincerae sunt, sed mutilae (*b*). Collationi legum Mosaïcarum et Romanarum, atque Digestis cum aliis Gaji scriptis bene multis, adhibitae sunt.

644. Aemilius Papinianus majori quam alius quilibet auctoritate in scholis et in foro regnavit (*c*). Nam in lege citata duobus tantum cedit; ac Justiniani tempore, imo ante, festus erat ac laetus dies Studiosis, qui tertio anno, ad ejus scripta tractanda accedentes, Papinianistae nominabantur (*d*). Sunt illa maximam partem forensia, et in Digestis circiter ex mille octingentis paginis centum explent. Vigesimus liber ab eo honoris causa incipit (*e*). Natione Syrus, ut creditur, auditor aut adsessor fuit Cervidii Scaevolae, una cum Severo Imperatore, cui carissimus erat; deinde advocatus fisci, libellorum magister (*f*), et praefectus praetorio; in quo officio, Bassiano imperante, eoque jubente aut volente, a militibus oc-

Papinianus. Hugo. pag. 884.

---

(*a*) Exstant in *Jure civili antejustinianeo* (vide supra Prooem. 17), et in *Jurisprudentia veteri antejustinianea A.* Schultingii, ubi vide de primis editionibus; nunc etiam in *Corp. jur. antej. Bonn.* 1835.

(*b*) Supra Prooem. 17. Historia iuventi: *Jenaische Literaturzeitung. April* 1817, *Intelligenzblatt, n°.* 25. *Zeitschrift* III. pag. 129. Vid. etiam *Was gewinnt die Rechtsgeschichte durch Cajus Instt? Von E. Schrader. Heidelberg.* 1823. In primis vero Niebuhrii ad Savignium Epp. in *Lebensnachten über B. G. Niebuhr aus Briefen desselben und aus Erinnerungen einiger seiner nächsten Freunde. Hamburg.* 1838. Vol. II.

(*c*) Spartian. Severo 21. Zosimus I. 9. L. 30. C. de fideicomm. Constitutio *Omnem.* § 4.

(*d*) Const. *Omnem.* ibid.

(*e*) Id. § 4.

(*f*) L. 12. D. de distr. pign.

cisus est *(a)*. Non minus virtute inclaruit quam juris peritia *(b)*.

Ulpianus et Paulus. Hugo. pag. 887 et 892.

645. Ulpianus et Paulus tam multa communia habent ut pariter nominandi videantur. Utrique enim Papiniano adsessores fuerunt *(c)*; utrique ab Heliogabalo exacti *(d)*, utrique Praefecti praetorio, utrique Alexandro Imperatori a consiliis, ejusdemque amici et familiares *(e)*. Utrique porro Digestis multo ampliorem quam reliqui materiem praebuerunt: Ulpianus tertiam, Paulus sextam partem totius operis. Utrique multa volumina ad Edictum, et ad Sabinum reliquerunt, et praeterea opus quod extra Digestorum fines exstat. Collationis quoque auctor ex utrisque pleraque desumsit. In lege Valentiniani utrisque par est auctoritas; sed notae quas ad Papinianum fecerunt et illa, et Constantini lege *(f)*, utriusque pariter improbantur.

646. Domitium Ulpianum ipsius testimonio *(g)* constat Tyrium fuisse, ac paulo majori loco apud Principem. Fragmenta ejus, novem et viginti titulis (Caracalli tempore scripta), neque post Gaji commentarios pretiosissima esse desierunt, licet uno corruptissimae scripturae codice, ac mutila. Caput et finis libri et titulus desiderantur, sed rerum ordo videtur *(h)*.

---

*(a)* Spart. Severo. l. c. Caracall. 8. Dion Cass. Lib. 76. Cap. 10. Lib. 77. Cap. 4. Zosim. l. c.

*(b)* Spart. Carac. 8. et L. 15. D. de cond. institt.

*(c)* Lamprid. Alexand. Cap. 26. Spartian. Pescenn. Nigro. 7. L. 40 D. de reb. cred.

*(d)* Id. Heliogab. 16. Victor. de Caes. 24.

*(e)* Lamprid. Alexand. 15 extr. 26, 27, 31, 67 et 68. L. 4. C. loc. cond.

*(f)* Vide supra 639.

*(g)* L. 1. D. de censib.

*(h)* Optimam editionem indicavimus supra Prooem. 17. Historiam literariam vide apud Hugonem, et apud Schultingium.

Hic etiam a militibus occisus est *(a)*.

647. Julium Paulum, propter lapideam quandam effigiem, quae Patavii in fronte Palatii videtur, cum inscriptione *(b)*, Patavinum fuisse crediderunt, vel contra. ***Sententiae*** ejus ***Receptae*** ad filium inscriptae, quinque libris, interpolatae exstant in lege Romana Visigothorum *(c)*. Ad Edicti ordinem, certe librorum ad Edictum, compositae sunt. Hic Paulus Scaevolam audivisse videtur *(d)*, et citat Ulpianum *(e)*.

648. Fragmentum de jure fisci, quod jam Maffeus noverat, primum vero cum Gaji commentariis in lucem editum est, an Pauli sit, inter peritos nondum constat *(f)*. Modestinus. Hugo. pag. 901.

649. Herennius Modestinus (non utique Dalmatia oriundus), in lege Valentiniani ultimus est. Ulpiani aut discipulus aut adsessor fuit *(g)*, eoque memorabilis est, quod post eum alii clari nominis jureconsulti non commemorantur. Plura ejus Graeca habemus quam ullius

---

*(a)* Zosimus I. 11.

*(b)* Inscriptio est talis:

PAULUS PATAVINUS JURISCONSULTOR. CLAR. HUIUS URBIS DECUS AETERNUM ALEX. MAMMEAE TEMPORIBUS FLORUIT AD PRAETURAM PRAEFECTURAM CONSULATUMQUE EVECTUS CUIUSQUE SAPIENTIAM TANTI FECIT JUSTINIAN. IMP. UT NULLA CIVIL. IURIS PARTICULA HUIUS LEGIB. NON DECORETUR QUI SPLENDORE FAMAE IMMOR TALIS OCULIS POSTERITATIS ADMIRAND. INSIG. IMAGINE HIC MERITO DECORATUR.

In evoluto libro, qnem sinistra tenet, Pauli verba leguntur ex L. pen. f. D. de just. et jure: »is locus recte jus appellatur."

*(c)* Inde apud Schulting. et in Jnre antejustinianeo.

*(d)* L. 38. § ult. D. de vulg. et pup. subst.

*(e)* In L. 43. D. de actt. emti.

*(f)* Vid. Gaji editoris praefatio. *Zeitschr.* III. pag. 150. Schilling. pag. 360.

*(g)* L. 52. § 20. D. de furtis. Adde L. 2. L. 4. extr. D. de excus.

praeterea. Maximinum Juniorem docuit (*a*), et a Gordiano non contemnendae auctoritatis Jurisconsultus appellatur (*b*).

Reliqui. Hugo. pag. 866 et 902.

650. E superioribus insigniores ex iis quae disputavimus facile noscuntur. Massurius Sabinus magis quam Labeo, cuius pleraeque sententiae reprobatae sunt, nominandus est, quod ejus scripta tantam vim in oeconomiam Digestorum habuerunt; et Cervidius Scaevola, tum propter fragmentorum copiam, tum quod ex ejus schola Papinianus et reliqui principes profecti sunt.

651. Fragmentum de juris speciebus et manumissionibus, quod primum plenissime utraque lingua Röverus edidit (*c*), novissime Schillingius (*d*), utique mediae hujus aetatis, sed incerti auctoris est.

## Quaestiones.

1. De Gaji nomine an nihil nuspiam exstat? Vid. Schilling. pag. 426.
2. Compilatores Occidentales an ex ipso Gajo tantum profecerunt?
3. Orientales vero cur Gaji Institutiones optarunt prae multis aliis a se tempore minus remotis?
4. Quid causae erat cur Papinianus cunctis anteponeretur?
5. Qua re differunt Pauli ab Ulpiani scriptis? Eratne ille obscurus?

---

(*a*) Jul. Capitol. Maxim. Jun. 1.

(*b*) L. 5. C. ad exhib. (III. 42).

(*c*) Frag. Vet. JCti de juris speciebus et manumissionibus quod servavit Dositheus magister... ex codd. Mss. Bibliothecae Batavae: edidit, notas et emendationes adjecit Matthias Röver. Accedit ejusdem specimen observationum et emendationum ad glossas veteres verborum juris. Lugd. Batav. 1739.

(*d*) F. A. Schilling. Diss. critica de fragmento juris Romani Dositheano denuo Graece et Latine edito. pars I. Lipsiae. 1819.

6. Cur Pauli et Ulpiani notae ad Papinianum, quae Constantino adeo displicebant, non tamen displicuerunt Justiniano?
7. Num et alii Ulpiani fuerunt? an Domitius noster deipnosophista fuit, et κειτουκειτος, apud Athenaeum?
   Vid. Athen. Deipnosoph. ed. Schweighäuser I. pag. 7. (Casaub. C. I. p. 2.). Id. V. 503. (C. 10. pag. 686.). Suidas: δειπνοσοφισταὶ. Leg. etiam Schweigh. Animadv. I. pag. 11 et 16. Conf. Paganinus Gaudentius: de philosophiae apud Romanos initio et progressu. Pisis 1643. pag. 378.
8. An noster est in quem tam acriter Lactantius invehitur: de Justitia. Cap. 11 extr.? Conf. L. 3. § ult. D. de decurionibus. Lamprid. Alexand. 22.
9. Eratne Paulus Patavinus?
   Vid. auctt. cit. in *Biblioteca dell' Eloquenza Italiana di Mons. Giusto Fontanini con le annotazioni del Sgre Apostolo Zeno istorico e poëta Cesareo Cittadino Veneziano. Venezia* 1753. T. II. pag. 133.

## CAPUT III.

### DE JURE PRIVATO.

Fontes historiae.
Hugo. pag. 905.

652. Scripta jureconsultorum quae pura aut adulterata aetatem tulerunt, item rescripta Imperatorum, tantum non omnia hujus temporis sunt; reliqui autem scriptores plerique res suae aetatis retulerunt. Ex utrisque igitur Historia nostra nunc plenior exsistit quam ante, et certior.

653. Mutationes vero aut legibus legumque more effectae sunt, quarum primarias, quasque supra indicavimus, eas nunc accuratius exsequemur; aut disputatione Peritorum, quas, cum non perinde in rebus novis constituendis, verum potius tam in antiquis quam novis rebus amplificandis versata sit, tam accurate exponere non licet. Utilissima quidem sit talis expositio, sed instituti nostri terminos egreditur.

### SECTIO I. DE PERSONIS.

Hugo. pag. 907.

654. Servorum novum genus est servi poenae, qui a Caesaris servis et a servis publicis differunt (*a*). In libertate vero morantes pauciores sunt (*b*), propter legem Juniam (supra 603).

655. Fiunt autem nunc servi: mulier ex senatusconsulto Claudiano (supra 604), et ingratus libertus (supra 588).

(*a*) L. 3. D. de his quae pro non script. L. 17. D. de poen. Plin. Ep. X. 40.
(*b*) Fragm. de juris specieb. § 14.

656. Manumissiones quidem legibus Aelia Sentia, et Furia (589.) impediuntur, nonnihil adeo lege Papia (*a*) (591); sed contra potest ex constitutionibus varie sine manumissione ad libertatem perveniri (*b*). Rursus libertina fieri potest quae nunquam serviit (*c*). Censu manumitti etiam nunc potest (*d*). Collusiones autem senatusconsulto Numiano, quod Domitiani temporibus factum est, coërcentur (*e*). Vindicta manumissio minus solemnis esse coepit (*f*).

657. Libertini nunc minus ab ingenuis distant, propter legem Papiam, et possunt praeterea quasi ingenui fieri beneficio Principis, impetrando jure aureorum annulorum, aut natalibus restituti (*g*). Per adoptionem tamen ingenui non fiunt (*h*).

## Quaestiones.

1. Servus poenae quare apud Gajum et Ulpianum non nominatur?
2. Qui sine manumissione ad libertatem perveniunt num cives fiunt, an vero Latini? Vid. L. 1. § 3. C. de Latina libert. toll. (VII. 6.). L. 3. § 4. D. de suis et legit.
3. Potestne Ulp. I. 8. sic intelligi ut *olim* ad formam, non ad rem referatur?

---

(*a*) Ulp. I. 21. Vatic. § 84.

(*b*) Tit. D. Qui sine manum.

(*c*) Fragm. de jure fisci § 11. j. Tacit. Ann. XII. 53. Paul. IV. 10, 2.

(*d*) Fragm. de jur. sp. § ult. Gaj. I. 44, 138 et 140. Nec obstat Ulp. I. 8. Conf. Censorin. de die natali. 18. L. 7. C. de donatt. (VIII. 54.).

(*e*) L. 1. D. de collus. deteg. L. 2. C. eod. (VII. 20.).

(*f*) L. 8. L. 23. D. de manum. vind. Gaj. I. 20. Conf. tamen L. ult. C. de emancip. (VIII. 49.).

(*g*) Titt. D. de jure aur. annul. et de natal. restit. Vatic. § 226.

(*h*) § ult. I. de adoptt. Gell. V. 19. L. ult. D. eod.

Cives. Hugo. pag. 909.

658. Civitas, etsi cives publice nihil possunt, tamen priori parte hujus aetatis magni habetur, neque impune occupatur (a). Ceterum fracta est (utcumque eam interpreteris), Caracallae constitutione (615). Ex diverso reliquorum liberorum hominum conditio exactius nunc definita est. Sunt enim, praeter peregrinos et coloniarios, quos constitutio reliquos fecerit: 1°. dedititiorum numero ex lege Aelia Sentia, qui peregrinis dedititiis similes (b), vix ullo modo ea conditione liberantur (c). 2°. Latini Juniani, qui liberi vivunt ac servi moriuntur (d), qui vero ex causae probatione, multisque aliis modis, ad civitatem Romanam perveniunt (e).

Causae probatio. Hugo. pag. 913.

659. Dedititiorum numero sunt servi manumissi, qui in aliqua turpitudine fuerunt, lege definita. His Romae esse non licet, neque intra centesimum milliarium, alioquin cum bonis suis publice venduntur, ea lege ne ibi serviant; quodsi manumittantur, servi publici fiunt (f).

660. Causae probatio, quod nunc novum institutum est, duplex est. Nam aut manumittendi gratiâ causa probatur, apud consilium (g); aut civitatis adipiscendae gratia, apud magistratum, quod tam ex lege Aelia Sentia Juniaque et accedente senatusconsulto Pegasiano, et

(a) Suet. Aug. 40. Claud. 25. Conf. Plin. X. Ep. 4 et 6. Testimonia de militum hon. missione, apud Spangenberg. op. cit. supra Prooem. 19. Adde Platzmann. de mil. hon. miss. Specimen. Lipsiae 1818.

(b) Gaj. I. 14 et 15.

(c) Ulp. I. 14. Conf. Gaj. I. 68.

(d) L. un. pr. C. de Lat. Libert. toll.

(e) Ulp. III.

(f) Gaj. I. 13. seq. et 25 seq.

(g) Id. I. 18 et 38. Ulp. I. 12 et 13.

qui liberorum quaerendorum causa uxorem duxit, permittitur (*a*), quam senatusconsulto ei qui per conditionis ignorantiam matrimonium contraxit (*b*). Quod senatusconsultum post Augusti tempora, ante D. Hadrianum, factum videtur (*c*).

661. Civitatium jura nunc ampliora sunt facta, tam senatusconsultis quam constitutionibus (*d*); item corporum jura certiora (*e*). Corpus habere et quidam Dei videntur (*f*), qui heredes institui possunt, veluti Diana Ephesia, et fiscus; non etiam Judaeorum universitas (*g*).

## Quaestiones.

1. Quid juris est in illis qui dedititiorum numero sunt, si venditi Romae deprehenduntur?
2. Quid juris est, si minor triginta annis causa non probata manumittitur? Gaj. I. 17. Quae videtur probabilis emendatio Ulp. I. 12? Vid. *Vangerow. Ueber die Latini Juniani. Marb.* 1833. Lachmann. *Zeitschr. für gesch. Reehtsw.* IX. 2.
3. Quid si minor viginti manumittit? L. 7. § 1. Qui et a quibus manum. Gaj. I. 40 et 41. L. 9. D. de manum. vind.
4. Quomodo potest dici *manumitti* apud consilium? Conf. L. 5. L. 19. eod.
5. Quale est illud consilium? Cur Romae partim senatoribus, partim equitibus constat? Cur decem personis? Gaj. I. 20. L. 16. eod. Cic. pro Caec. 33.

(*a*) Gaj. I. 29 seq. Ulp. III. 3.

(*b*) Id. I. 67 seq. Ulp. VII. 4.

(*c*) Id. I. 68 et 73.

(*d*) Ulp. XXII. 5. XXIV. 28.

(*e*) Lamprid. Alex. 33. Tit. D. de colleg. et corp. L. 1. D. Quod cujusque univers. Vatic. § 235. seq.

(*f*) Ulp. XXII. 6.

(*g*) L. 1. C. de Judaeis. (I. 9.).

6. Quare consilium non adhibetur cum erroris causa probatur?
7. Quare septem testes in testatione adhibentur? Gaj. I. 29. Conf. id. II. 107 et 119. L. 9. D. de divort. L. 3. D. de concub. L. 1. D. unde vir et uxor.
8. Cur lex Aelia Sentia non pertinet ad peregrinos? Cur reliqua ejus capita ad peregrinos prolata non sunt? Gaj. I. 47.
9. An erroris causae probatio ex senatusconsulto ad peregrinos pertinet? Id. I. 74.

Legatur omnino de causae probatione: Bethmann-Hollweg. de c. p. Dissertatio. Berol. 1820. Conf. Zimmern. § 214.

Potestas. Hngo. pag. 911. 662. Servi jam dominis suis similiores facti sunt, qui et ipsi dominum habent, Caesarem. Idemque Caesar saepe servos contra jus dominorum tuetur, nunc imperio (a), nunc constitutionibus (b). Praeterea lege Petronia, (ante annum 79. lata,) defenduntur (c).

663. Numero non minus quam ante periculosi sunt (d); et Principis tam servi quam liberti in palatio fumum vendunt (e). Hi etiam provinciis, aliisque reipublicae partibus praeponuntur (f).

664. Peculium servo eo utilius est, quod ex epistola Divorum fratrum suis nummis emi potest (g). Cum

(a) Seneca de Ira III. 40.

(b) Gaj. I. 53. Seneca de Clem. I. 18. Suet. Claud. 25.

(c) L. 24. D. de manumiss. L. 11. § 2. D. de lege Corn. de sicar. Conf. Zimmern. I. pag. XV. *Arditi. la legge Petronia illustrata col mezzo di una antica iscrizione rinvenuta nell' amfiteatro di Pompeji. Napoli* 1817.

(d) Seneca de Clem. I. 24. Tacit. Ann. IV. 27.

(e) Lamprid. Commod. 14. Tacit. Hist. I. 4.

(f) Tacit. Ann. XII. 54. Lamprid. Heliogab. 12.

(g) L. 4. D. de manumiss.

manumittitur inter vivos donari ei intelligitur, non etiam cum testamento *(a)*.

QUAESTIO.

Quid est peculii adsignatio in L. 3. Th. C. de liber. causa (IV. 8.)?

665. Patria potestas nunc in dies magis minuitur *(b)*. Non potest pater filium impune occidere, nec gravius sine magistratus interventu in eum animadvertere *(c)*. Mancipare tamen eum etiam nunc posse videtur, nec tantum noxae causa *(d)*; etsi in servitutem eum vendere nec antea potuit, nec nunc potest *(e)*. Nec facile bene concordans matrimonium turbare permittitur *(f)*. Etiam castrense peculium ad patriam potestatem diminuendam pertinet *(g)*, fortasse et quasi castrense *(h)*. Patria potestas.

QUAESTIO.

Num parentes liberos suos impune etiam nunc exponere possunt? Conf. L. 4. D. de agn. et al. lib. cum L. 2. C. de inf. expos. (VIII. 52.).

666. Adquiritur novis modis, et usitatis facilius. Ad-

*(a)* § 20. I. de legatis. L. 53. D. de peculio.

*(b)* L. 50. D. ad SCtum Treb. L. ult. D. Si a parente quis manum. L. 19. D. de ritu nupt.

*(c)* L. 5. D. ad L. Pompej. de parric. L. 2. D. ad L. Corn. de sicar. L. 3. C. de patr. pot. (VIII. 47.).

*(d)* Ulp. XXIII. 3. XI. 5. Id. in Coll. 16 ult.

*(e)* L. 1. C. de patr. qui filios distrax. (IV. 43.). L. ult. D. quae res pignori. L. 6. C. eod (VIII. 17.). L. 1. C. de liber. causa (VII. 16.).

*(f)* L. 1. extr. L. 2. D. de lib. exhib. L. 5. C. de repud. (V. 17.). Paul. V. VI. 15. Vid. etiam infra 872.

*(g)* L. 4 et 5. D. de castr. pecul.

*(h)* L. 3. § 5. D. de bon. poss. L. 1. § 6. D. ad SCtum Trebell. L. 7. § ult. D. de donatt.

quiritur enim: 1°. erroris causae probatione, de qua ante diximus: nam qui per eam sibi suisque civitatem adipiscitur, is liberos in potestate habere incipit. Similis res est, cum Princeps ad preces privatorum statum liberorum confirmat, ex prohibitis nuptiis natorum (*a*). Et potest utrumque cum legitimatione posteriorum temporum comparari.

Nuptiae. Hugo. pag. 911. 667. 2°. Ex justis nuptiis, per legem Juliam de maritandis ordinibus (supra 593), connubium nunc est libertinis cum ingenuis (*b*), praeter personas senatorias, quod Divi Marci oratione adjectum est (*c*). Si tamen ingenuus personam duxerit lege notatam, vel contra, legis poenas non evitabit; in senatore vero nec nuptias esse constat (*d*). Concubina tamen talis persona utiliter habetur (*e*). In gradu tertio jam unus casus est matrimonii non prohibiti (604).

668. Beneficio Principis venia nuptiarum prohibitarum impetrari potest (*f*), quasi *dispensatio.*

669. Ceterum matrimonium nunc propter tutelam (*g*), et propter officium prohibetur (*h*); item propter delictum (*i*), quod ex lege Julia repetendum videtur (*k*). Etiam incestae nuptiae legitimis poenis coërcentur (*l*).

(*a*) L. 57. § 1. D. de ritu nupt. Adde Gaj. I. 94. et L. ult. D. de adoptt.
(*b*) L. 23. D. eod.
(*c*) L. 16. L. 42. § 1. L. 44 eod.
(*d*) Ulp. XIII. XVI. 2. L. 31. L. 43. L. 58. eod. L. 16. D. de sponsal.
(*e*) Arg. L 56 eod. L. 3. D. de concub. L. 13. D. ad L. Jul. de adult.
(*f*) L. 31. eod. Gaj. I. 57.
(*g*) L. 59. eod.
(*h*) L. 38. eod.
(*i*) L. 13. D. de his quae ut indignis.
(*k*) L. 43. § 12. t. c.
(*l*) L. ult. eod. L. 38. D. ad L. Jul. de adult. Horat. Od. IV. V. vs. 21.

670. Quemadmodum autem liberi propter connubium in patris sui potestate sunt, ita universe patris conditioni accedunt (supra 658); et ex diverso deficiente connubio matris conditionem sequuntur: quae juris gentium regula nunc magis ad examen revocatur, propter exceptiones, quae ab ea qua legibus qua aliis juris constitutionibus continuo aut fiunt aut abrogantur (*a*).

671. Idemque de altera regula dicendum est, non minoris utilitatis, qua qui illegitime concipiuntur statum sumunt ex eo tempore quo nascuntur; qui legitime, ex conceptionis tempore (*b*).

672. Pubertas adhuc corpore magis quam annis aestimatur (*c*). Sed in consensu hoc mutationis contigit, quod parens filiam quam in potestate habet collocare atque dotare cogitur, nec filium quo minus ducat prohibere potest: quod etiam lege Julia effectum est (*d*).

673. Divortiorum licentia non est multo minor quam erat; etsi forma divertendi nova adjecta est (*e*), et ex dote plures retentiones fiunt (*f*): sed leges Juliae non potuerunt mores emendare (*g*).

674. In adoptione nova sunt: illa ex tribus maribus, ex senatusconsulto (incertae aetatis) Sabiniano (*h*); et adoptio impuberis, quae cum quibusdam conditionibus

Adoptio. Hugo. pag. 913.

(*a*) Gaj. I. 80. Ulp. V. 8.

(*b*) Id. I. 89. Id. V. 10. Conf. L. 5. § 1. D. de statu hom.

(*c*) Ulp. V. 2 et XI. ult. Pr. I. Quib. mod. tutela fin. L. ult. C. Quando tut.. esse des. (V. 60.). Conf. tamen L. 14. D. de sponsal.

(*d*) L. 19. D. de ritu nupt. L. 12. § 1. D. de sponsal.

(*e*) L. 9. D. de divort.

(*f*) Ulp. VI. 9.

(*g*) Horat. Od. III. XXIV. vs. 35. Martial. VI. 7.

(*h*) Theoph. ad § 14. I. de hered. quae ab intest.

fieri potest, ex D. Pii ad pontifices epistola *(a)*. Item quod Nerone Principe effectum est, ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici juvet, ac ne usurpandis quidem hereditatibus prosit: Memmiano senatusconsulto (supra 605).

### Quaestiones.

1. An forte ab erroris causae probatione, similibusque quae nunc sunt, *legitimatio* repeti potest?
2. Num retro trahitur illa?
3. Si ingenuus non senator notatam ducat, an matrimonium inutile est?
4. An concubina prodest ad legis Juliae et Papiae poenas evitandas, an vero legis Juliae de adulteriis duntaxat?
5. Quae habet concubinatus communia cum matrimonio? Vid. Paul. II. 20. L. 41. § 1. D. de ritu nupt. L. 56. eod. L. 13. D. ad L. Jul. de adult.
6. Quid differt concubina Romana a Judaca? Conf. Michaëlis. *Mosaïsch. Recht.* II. § 88. Quid a pontificia? Conf. C. 4 et 5. Dist. 34. Quid ab Hodierna?
7. An *dispensatio* Recentiorum ex jure Romano originem traxit? Conf. Tit. C. Si nupt. ex rescr. pet. (V. 8.).
8. Quid existimandum videtur de matrimonio quod nunc est apud Romanos, et de legibus ac potestate publica continuo se sanctissimo vitae privatae vinculo immiscentibus?
9. Cur leges illae spem fefellerunt?
10. Quo modo nunc fit arrogatio? Qua ratione potuit in hac re Princeps succedere populo?

**Manus. Mancipium. Hugo. pag. 914.**

675. Feminae nunc usu in manum non conveniunt *(b)*,

*(a)* Gaj. I. 102.
*(b)* Id. I. 111.

et confarreationis vis Tiberio auctore imminuta est *(a)*. Coëmtio cum universa rarescit, tum fiduciaria per legem Claudiam, ac per senatusconsultum Hadriano auctore *(b)*. Mancipium quoque, praeter noxalem causam, vix aliter quam dicis causa interponitur *(c)*, neque leges de manumissionibus in eo locum habent *(d)*. Filios autem qui ex mancipato patre concepti sunt, nunquam in mancipio esse, jam receptum est, contra Labeonis sententiam *(e)*. Emancipatio quandoque non est voluntaria (supra 665).

### Quaestiones.

1. Cur usus hoc tempore magis quam superiori abrogatus atque oblitteratus esse videtur?
2. Quod Tiberius constituit estne de qualibet flaminica intelligendum?

676. Ut matrimonium, ita tutela nunc multo minus jure civili quam legibus publicis ac magistratuum imperio regitur. I. Enim legitima mulierum tutela, quam agnati habent, lege Claudia sublata est *(f)*; jure liberorum tam ingenuae quam libertinae tutela liberantur, ex lege Julia et Papia *(g)*; patroni autem et parentes nonnunquam auctores fieri coguntur *(h)*. Tutela. Hugo. pag. 916.

677. II. Tutores nunc supremo judicio non recte dati plerumque confirmantur a magistratibus, nec tantum

*(a)* Tacit. Ann. IV. 16. Gaj. I. 112 et 136. Conf. idem. I. 130.
*(b)* Arg. Tacit. l. c. Gaj. ll. cc. Id. I. 115a.
*(c)* Gaj. I. 141. 118a.
*(d)* Id. I. 139.
*(e)* Id. I. 135.
*(f)* Id. I. 171. Ulp. XI. 8.
*(g)* Id. I. 145. 194. III. 44 et Ulp. XXIX. 3.
*(h)* Id. I. 192.

ubi pater, sed et ubi extraneus dedit: quod constitutionibus introductum est *(a)*.

678. A magistratu porro tutorem habenti, item certae rei vel causae, deinde excusato vel remoto tutore, tam ex legibus quam ex senatusconsultis saepissime datur *(b)*.

679. Nec tantum praetor tutorem dat cum tribunis, aut in provinciis praesides; sed etiam consules, et specialis praetor tutelaris (supra 613), adeo magistratus municipales *(c)*, qui ipsi utili tutelae judicio tenentur *(d)*. Quae pleraque senatusconsultis et constitutionibus sunt introducta.

680. Postremo placuit nunc ut tutela sit munus publicum: cui est consequens ut abdicari non possit. Ex diverso tam potioribus nominandis, quam excusationibus locus est *(e)*. Quae pars juris similiter a constitutionibus orta Peritorum scriptis studiose exculta est.

681. De pubertate in finienda tutela scholarum disceptatio est, in qua mos Romanus cum Graeca philosophia conflictatur; nec tamen deest media sententia *(f)*.

682. Quod absonum est, feminarum jam quae tutores sint vel esse velint, mentio fit *(g)*. Qui tutores pupillo petere debent, nec petunt, poenam patiuntur *(h)*.

*(a)* L. 1. D. de conf. tut.

*(b)* Gaj. I. 173. L. 17. D. de tut. L. 11. §§ 1 et 2. D. de test. tut. Ulp. XI. 19 et 23.

*(c)* L. 1. cit. Tit. D. de tut. dat. Suet. Claud. 23. Capitol. Marco 10.

*(d)* Tit. D. de magist. conven.

*(e)* Vatic. § 123. § 247. Conf. Buchholtz. o. c. Excurs. II.

*(f)* Ulp. XI. 28. Conf. supra Sect. 635.

*(g)* L. ult. D. de tut. L. 1. C. Quando mulier tut. (V. 35.).

*(h)* Tit. D. Qui petant.

## Quaestiones.

1. Num confirmatur etiam testamentarius tutor mulieri datus?
2. Qua re fit ut tutoris dandi potestas nunc temere aliis atque aliis magistratibus conferatur, quam antea pauci angustamque habebant? Conf. § 3. I. de Attil. tut.
3. Potiorum nominationes atque excusationes quo modo invaluerunt? Cur hae solae aetatem tulerunt, non illae?
4. Num abdicatio tota cessat? Conf. Ulp. XI. 7.
5. Quam aequitatem habet hoc ut quis invitus tutor fieri cogatur?
6. Excusatio propter liberos num a lege Julia ortum habet? Conf. L. 18. D. de excus. Vatic. § 191 et 197.
7. De pubertate qua tutela finitur, an in foro quoque non convenit?
8. Quid est *infantia?* quid *infantiae proximus?* quid *pubertati proximus?* Conf. § 10. I. de inutil. stip.
9. Quid differt tutela Romana ab ea quae apud Germanicas gentes, praesertim quae jure feudali usitabatur? Conf. *Eichhorn. Einleitung in das Deutsche Privatrecht*: §§ 225 et 318 seq. *Göttingen.* 1825. *Paetz. Lehrbuch des Lehnrechts.* § 95. *Gött.* 1819. Blackstone. Cap. 17.
10. Quo modo sit emendandus Ulp. XI. 7? item Gaj. I. 193: *bytinorum?* Conf. Cic. Verr. Lib. II. Cap. 22.

683. Curatio minorum nunc plura communia habet quam ante cum tutela impuberum. D. Marco auctore perpetua facta est (supra 613), nec tamen inevitabilis (*a*), et potest venia impetrari a Principe (*b*). Alius quisque minori curatorem petere non potest, sed tutor Curatio. Hugo. pag. 918.

(*a*) Gaj. I. 197 et 198. Ulp. XII. ult. § 2. I. de curatt.

(*b*) L. 3. D. de minorr.

monere debet *(a)*, ut petat. Communia sunt satisdationes *(b)*, excusationes, suspecti crimen, multaque de administratione praecepta *(c)*, in quibus et illud est, ne praedia rustica vel suburbana sine decreto alienentur (supra 614); non vero tutelae judicium *(d)*. Ceterum ut in tutela, ita in curatione quoque, magistratuum potestas prae jure et lege dominatur *(e)*.

### Quaestiones.

1. Quid tandem constituit D. Marcus? Leg. Savigny. *Von dem Schutz der Minderjährigen im röm. Recht. Berlin.* 1833. Contra Van Hall. *Bijdragen.* IX. 1.
2. Cur praedia urbana sine decreto recte distrahuntur? Conf. Gell. XV. 1.
3. Estne plane certum curatores suspectos fieri posse? Quid est cur dubitemus?

Gentiles. Coloni. Hugo. pag. 939 et 1113.

684. Gentilitium jus non minus quam clientela nunc totum oblitteratum est *(f)*, etsi nomina manent *(g)*. Contra vero coloni esse incipiunt vel adscriptitii, id est, rustici homines liberi patrono vel domino subjecti, qui ab agro separari non possunt: certe ineunte proxima aetate hoc jus per universum orbem Romanum jam usitatissimum est *(h)*.

---

(a) L. 2. §. ult. D. qui petant. L. 5. § 5. D. de adm. et periculo.

(b) § 3. I. de attil. tut.

(c) Tit. C. de suspect. (V. 43.). Tit. D. de adm. et periculo.

(d) Conf. L. 4. § 3. L. 16. § 1. D. de tut. et rat. distr.

(e) L. 2. 13. 16. D. de curatt. fur.

(f) Arg. Ulp. XII. 2. Gaj. III. 17.

(g) Spart. Sev. 19. Tacit. Hist. I. 81. Front. pag. 164. ed. Niebuhr.

(h) Tic. C. de agricol. (XI. 47.). Conf. L. 112. pr. D. de leg. I. Leg. Savigny. *Ueber den Röm. Colonat. Zeitschr.* VI. pag. 309.

## Sectio II. De rebus et de adquirendo rerum dominio.

685. Provinciale solum nunc non tantum in dominio populi Romani, sed etiam Caesaris esse creditur (supra 572), unde tributaria a stipendiariis praediis distinguuntur (*a*). Italica autem praedia multo plura sunt, cum jus Italicum ab Imperatoribus saepe numero impetretur (*b*); quod tamen jus propter immunitatem magis quam juris privati causa aestimari solet: nimirum tuitio praetoris per omnia prope jus civile imitatur. Provinciale solum. Servitutes. Pignus. Hugo. pag. 921 et 926.

686. Habitatio et operae servorum nunc assidue cum usu et usufructu comparantur, eisque a latere incedunt, etsi servitutes non sunt (*c*); justaque nomina cum in superficie tum in emphyteutico jure usurpantur (*d*). Ususfructus plurimum constituitur deducendo, eoque utilior est, quod lege Papia minus impeditur (*e*); quodque universorum bonorum legari potest, per senatusconsultum, fortasse item legis Papiae causa. Ejusdem legis vis in Peritorum de usufructu accrescendo disputatione (mirabili subtilitatis exemplo) cernitur (*f*). Similis disputatio est de eo qui ex tempore, ad tempus, aut sub conditione constituitur (*g*).

687. Pignus mancipatione contrahi non desinit, certe in Occidentalibus regionibus (*h*), dum in Oriente hy-

(*a*) Gaj. II. 7 et 21. Theoph. ad § 40. I. de rer. divis.

(*b*) Tit. D. de censib.

(*c*) Conf. L. 1. D. de usu et habit.

(*d*) L. 86. §. ult. D. de leg. I. L. 3. § D. de rebus eorum qui sub tut.

(*e*) Ulp. XV.

(*f*) L. 3. § 2. L. 10. D. de usufr. accr. Vatic. § 74.

(*g*) Vatic. § 47 seq.

(*h*) Arg. Paul. II. 13.

potheca magis dominari videtur. A creditore vendi potest, etsi non convenit; imo etsi contra convenit, sine furto distrahi potest *(a)*. Saepe etiam tacite contrahitur *(b)*.

### Quaestiones.

1. Cum solum jus Italicum accepisse dicitur aut negatur (in L. ult. §§ 3 et 7. D. de censib.), an eo jus Quiritium habere dicitur vel negatur?
2. Quare non potest cautio remitti cum ususfructus testamento relinquitur? An potest cum aliter constituitur? Conf. L. 1. C. de usufr. (III. 33.). L. 7. C. Ut in poss. legat. (VI. 54.).
3. Quae erat senatusconsulti de quasi usufructu causa et consilium?
4. Num in alio quam legato usufructu juri accrescendo locus est?
5. Quare credibile est jus accrescendi in usufructu lege Papia sublatum non esse?
6. Cur jureconsulti ejus usum tam late protulerunt?
7. Qualis *obligatio* intelligenda est in tabula Trajana (supra 707.): mancipatio cum fiducia, an hypotheca? Conf. Gaj. II. 61. Vatic. § 266. Plin. Epist. VII. 18.
8. Quid sibi vult illic *deducto vectigali?*
9. Quid *quod Cornelius Gallicanus obligavit?* item *obligatio praediorum facta per Cornelium Gallicanum?* Legatur *Heidelberg. Jahrbücher. Zweyter Jahrgang.* 1809. pag. 225 seq.
10. Quo consilio videtur illa obligatio aeri incisa? Conf. Plin. Paneg. 28.
11. An duravit hoc institutum? Spartian. Hadr. 7. Capitol. Pertin. 9.

---

(a) L. 4. D. de pign. act.

(b) Tit. D. In quib. caus. pignus.

688. Duplex dominium minime oblitteratur hoc tempore, neque distinctio rerum mancipi et nec mancipi (*a*). In hac vero fuit quaedam jureconsultorum controversia, de animalibus quae collo dorsove domantur (*b*). Juris gentium adquisitiones philosophicis disputationibus subjiciuntur, ac cernitur in illis scholarum dissidium. In civilibus autem nonnihil mutationis contigit. Nam usucapio pro herede magna ex parte praecisa est Hadriani senatusconsulto (*c*), neque ipsa hereditas nunc usucapi potest (*d*). In jure cessio tutelae per legem Claudiam rarior evasit; et potest hereditas, ex Proculianorum sententia (*e*), non inutiliter in jure cedi a necessario herede. Postremo lege nunc multis ex causis adquiritur (*f*), uti contra lex saepe etiam adquisitionem impedit, veluti lex Julia de fundo dotali (supra 599), et edictum D. Augusti de re litigiosa (*g*). Dominium. Hugo.pag.922.

689. In donationibus novum est, quod saepe ad mortis causa factae exemplum rediguntur, eoque servantur: veluti inter patrem et filium (*h*), inter virum et uxorem (supra 615), inter quos universe pluribus ex causis quam ante donare permissum est (*i*). Parum firmum est quod liberto donavit patronus (*k*).

---

(*a*) Vatic. § 293 et 313.
(*b*) Gaj. II. 15. Conf. L. 28. D. de usur.
(*c*) Id. II. 57 et 58. III. 201.
(*d*) Id. II. 54. Seneca de benef. VI. 5.
(*e*) Id. II. 37.
(*f*) Ulp. XIX. 17.
(*g*) Fragm. de jure fisci § 8. Conf. T. D. de litig.
(*h*) Vatic. § 274. coll. § 294.
(*i*) Ulp. VII
(*k*) Vatic. § 272. Conf. L. I. C. de revoc. donatt. (VIII. 56.).

690. Emtio sub corona manet (*a*).

### QUAESTIO.

Quid habet commune Caracallae oratio cum decimis? Conf. L. 32. D. de donatt. inter vir. et ux. cum Vatic. § 294.

691. Qui nunc minus quam ante alienare possint, item qui magis, ex superioribus cognitum est (683, 687, 688).

Adquisitio per alios. Hugo. pag. 927. 692. Adquisitiones per alios certiores et pleniores effectae sunt. Nam placet per extraneum possessionem, et cum ea dominium, vel ignorantibus adquiri (*b*); item possessionem per eum quem non possides (*c*). Per liberos tamen minus adquiritur quam ante, propter castrense peculium, in quo parens nihil juris, nisi filio intestato mortuo, habet (*d*).

### QUAESTIONES.

1. Estne hoc sensim an subito introductum?
2. Quare dubitabatur an lex Julia de fundo dotali ad provincialia praedia pertineret? Gaj. II. 63. Conf. L. 4. C. qui bon. ced. poss. (VII. 71.).
3. Estne jus novum quod in § 5. I. per quas. pers. adq. ad const. D. Severi refertur?

Per universitatem. Testamentum. Hugo. pag. 931. 693. Per universitatem denuo pluribus modis adquiritur, certe inter vivos. In testamenti forma quaedam relaxata sunt. Nam codicilli sunt, quibus confirmatis etiam directa relinqui possunt (*e*); et non scriptum

(*a*) Tacit. Hist. I. 68.
(*b*) L. 1. C. de adq. poss. (VII. 32.).
(*c*) L. 1. § 8. D. eod. coll. Gajo II. 90 seq.
(*d*) L. 15. § 3. D. de castr. pecul.
(*e*) L. 2. § 2. D. de jure codicill. Conf. Plin. Ep. II. 16.

bonorum possessioni locum facere, jam certum est (*a*); item in testibus benignior juris interpretatio placet (*b*). Contra vero obsignatio diligentius fieri debet (*c*). Ceterum in personis cum testantium tum capientium multo majores innovationes factae sunt, et vero in voluntatis jure universo.

694. Ante omnia militare testamentum nominandum est, quod nunc pluribus constitutionibus perpetui juris esse coepit. Militibus enim, cum in forma, tum in voluntate, omnia quae juris civilis sunt, remissa sunt; plane contra legem Juliam recte testantur, non tamen manumittentes contra legem Aeliam Sentiam (*d*).

695. In personis testantium (praeter ea quae de muliere et de filiofam. diximus), nova est prohibitio, qua Latini Juniani, et qui dedititiorum numero sunt, arcentur (*e*). Verum contra quandoque ei qui natura aut jure prohibetur Princeps subvenit (*f*). Pubertas in hac juris parte jam annis aestimatur (*g*). Testator.

696. At quantum in heredibus instituendis mutatum est! Postumus institui potest qui vivo testatore nascetur, ex lege Junia Velleja (supra 604); item municipia a libertis suis, et complures Dii Deaeque recte instituuntur (*h*), ex specialibus senatusconsultis; sed inutiles sunt, ex senatusconsulto, captatoriae institutiones (*i*). Heres. Hugo. pag. 932.

(*a*) L. 2. C. de b. p. sec. tab. (VI. 11.).
(*b*) L. 20. § 9. D. Qui test. fac. poss. L. 1. C. de testam. (VI. 23.).
(*c*) Supra 605, et L. 22. § 4. D. Qui testam. fac. poss.
(*d*) Gaj. II. 111. L. 29. D. de testam. milit.
(*e*) Id. III. 75. Ulp. XX. 14.
(*f*) L. 7. L. 11. D. Qui testam. fac. poss. Conf. L. 43. D. de hered. inst.
(*g*) Gaj. II. 113. L. 5. D. eod. Conf. Ulp. XVI. 1.
(*h*) Ulp. XXII. 5 et 6.
(*i*) L. 70 et 71. D. de hered. inst.

697. Praeter eos autem qui institui non possunt, multiplex genus eorum est qui lege aliqua capere prohibentur. 1°. Latini Juniani nihil directo jure capere possunt, nisi intra centum dies jus Quiritium consequantur (*a*).

Lex Julia et Papia. Hugo. ibid. et pag. 919.

698. 2°. Per legem Papiam et senatusconsultum Pegasianum (supra 592, 593 et 606) ex testamento extranei ullo jure capere prohibentur, coelibes ex toto, orbi ex semisse, si jam legitima aetate (viginti aut vigintiquinque annorum) sunt. In eadem causa sunt qui sero (sexagenario et quinquagenaria majores) legibus paruerunt, propter senatusconsultum, quod Tiberius adjecit, Persicianum; praeterquam, ex senatusconsulto Claudiano, si illa major hac aetate minorem duxerit: non tamen contra: non enim *impar matrimonium* prodesse, senatusconsulto Calvisiano, Nerone principe, effectum est (supra 604 et 605).

699. Excipiuntur tamen legum severitate: 1°. quaedam conjunctae personae usque ad sextum gradum, et ultra (*b*). 2°. Ex parte conjuges, qui orbi decimam, aut (propter liberos priores vel amissos) decimas, et tertiae partis usumfructum, ac mulier quae dotem, multisque ex causis solidum, capere possunt. Ita tamen si non contra legem matrimonium contraxerint (*c*). Novi autem matrimonii contrahendi modica vacatio tribuitur: a morte biennii, a divortio anni et sex mensium vacatio. Rursus coelebs cum hereditas defertur, intra centum dies legi parere potest.

(*a*) Ulp. XVII. 1. XXII. 3.

(*b*) Sozomenus. Hist. eccl. I. Cap. 9. et Coll. § ult. Ulp. XVI. 1. *item si cognati*. Vatic. § 216 et 217.

(*c*) Ulp. XV. XVI. 1 et 2.

700. At ubi lex committitur caducum fit, et locus est vindicandis caducis: in quo tamen casu 1°. ***jus antiquum*** habent liberi et parentes, ad quos quod quisque qualicumque ex causa non capit, cum accrescendo, tum non praestando pertinet, prout jure communi pertinere potest *(a)*.

701. 2°. Caducum autem, sive propter coelibatum vel orbitatem, sive propter qualitatem Latini Juniani, sive conditione, aut ex parte scripto herede, aut legatario, ante apertas tabulas deficiente, aliave ex causa juris civilis, caducum fiat *(b)*, aut ***in causa caduci***, vindicare possunt tam heredes quam legatarii, qui in eo testamento liberos habent: ita tamen ut heredes praeferantur legatariis, conjunctim vero scripti omnimodo ceteris *(c)*.

702. Idem de his quae indignis auferuntur dicendum videtur *(d)*.

## Quaestiones.

1. Quid interest institui, an capere non possis?
2. Qua aetate erat legi Juliae parendum? Num eam recte reprehendit Tertullianus Apolog. 4? Conf. Sozomenus l. c. Quid constituit Severus? Vid. Zimmern. p. 631.
3. Quid est solitarius pater apud Ulp. XIII? Vid. Hugo.
4. An mulier nonnisi pluribus liberis solidum capit? Conf. Zimmern. l. l.
5. Quid est ***nominum dies*** apud Ulp. XV et XVI? Macrobius Saturn. I. 16. pag. 283. ed. Bipont. Festus

*(a)* Ulp. XVIII.

*(b)* Id. XVII.

*(c)* Gaj. II. 206 et 286. Ulp. XXIV. 12. XXV. 17. L. 89. D. de legat. III. L. un. § 1. C. de caduc. toll. Legatur Rudorff. *Zeitschr.* VI. III. *Analyse historique* supra cit. 350 quaest. 6.

*(d)* L. un. cit. § 12. Supra 595.

*lustrici dies.* Conf. tamen Valer. Maxim. Lib. X. de nominibus, sect. 11.

6. An praeter has leges mulieres etiam Voconia impediuntur? Gaj. II. 274. Plin. Paneg. 42. Gell. XX. 1. Dion. Cass. LVI. 10.
7. An spadones excepti sunt? L. 128. D. de verb. signif.
8. An constitutione Antonini (Ulp. XVII. 2.) jus patrum sublatum est? Leg. Schilling. pag. 377. Rudorff. l. c.

703. In heredibus instituendis eam quoque vim habet lex, ut propter eam quaedam conditiones remittantur, maxime *si non nupserit* (*a*); quod etiam lex Julia Miscella facit, indicta viduitate, quae lex incertae aetatis est (*b*).

Necessarii heredes.

704. Necessarios heredes non quisque libere sicut antea facere potest, propter leges Aeliam Sentiam et Fusiam Caniniam, nec aliter nisi nominatim (*c*). Querela inofficiosi nonnisi quarta parte relicta excluditur (*d*).

Substitutiones.

705. Substitutiones nunc magis quam ante necessariae sunt, maxime reciprocae, sublato inter extraneos jure accrescendi (*e*); pupillaris autem magna cum diligentia fieri solet, ut pupillus tutus sit ab herede secundo (*f*), neque ultra an altera alteri insit quaeritur, post D. Marci constitutionem (*g*). Idem effecit ut substitutus ex imperfecta cretione pro herede gerendo summoveatur (*h*).

(*a*) L. 64. D. de cond. et dem. L. 74. eod.
(*b*) Vid. L. 2. C. de ind. viduit. (VI. 40.). Novell. 22. Cap. 43.
(*c*) Gaj. II. 239.
(*d*) L. 8. § 8. D. inoff. testam. Plin. Ep. V. 1.
(*e*) Gaj. II. 206. L. un. pr. C. de cad. toll.
(*f*) Id. II. 181.
(*g*) L. 4. D. de vulg. et pupill. substit.
(*h*) Gaj. II. 178. Ulp. XXII. ult.

706. Non utique inutile est testamentum filio suo praeterito, certe ut Proculiani defendunt (*a*). An necesse sit ad rumpendum ut partus vagitum edat, quaestio est (*b*).

707. Jam quod minus aptis verbis legatur, ex Neroniano valet, quasi per damnationem relictum, de qua tamen re varia interpretatio est (*c*). Neque ex jure civili de reliquis legatis, veluti per vindicationem quando adquiratur, de sinendi modo quoties debeatur, de praeceptionis legato quae res relinqui possint, quaque actione petantur, et rel. satis inter utriusque scholae auctores convenit, Sabinianis plerisque angustius, Proculianis liberius interpretantibus (*d*) (conf. supra 635). Cum usufructu legato Neroniano locus est, exemplum vindicationis sequuntur (*e*). Legata. Hugo. pag. 935.

708. Ceterum legata non minus quam hereditates lege Papia determinantur, ex qua et illud est, quod dies legati, qui ante a tempore mortis cedebat, nunc ex apertis tabulis cedat (*f*). Falcidia in gratiam heredis larga interpretatione aucta est (*g*). Legatorum servandorum cautio jam remitti potest (*h*), et quandoque in bona heredis mittitur (*i*).

709. Postremo praetermittenda in hac Historia non videtur, etsi magis facti quam juris est, avaritia ho-

(*a*) Gaj. II. 123.

(*b*) L. pen. C. de postum. hered. (VI. 29.). Conf. Lex Alemann. Tit. 92.

(*c*) Gaj. II. 218.

(*d*) Id. II. 200, 209—223.

(*e*) Vatic. § 85.

(*f*) Ulp. XXIV. 31.

(*g*) L. 74. L. 77. D. ad L. Falcid.

(*h*) L. 7. C. Ut in poss. legat. (VI. 54.). L. 12. D. Ut legat.

(*i*) L. 5. § 16. D. Ut. in poss. legat.

minum. Est enim nunc Romae natio heredipetarum senes orbos et vetulas consectantium, suaque assiduitate nunc uncias nunc legata piscantium (*a*); estque praeterea Princeps, qui saepe tuto nec praeteritur nec instituitur (*b*). Rursus mortuo quoque, delatores imminent (*c*). Efficitur, ut nulla facile res tam anceps sit, tamque aleae plena, quam supremum judicium atque hereditas.

### Quaestiones.

1. Numquid effectu differunt jus adcrescendi et reciproca substitutio?
2. Quaé causa esse videtur senatusconsulti Neroniani? An juris emendandi, an vero Principis locupletandi studium?
3. Quae est actio utilis in Vatic. § 85?
4. Cui bono erat pupillaris substitutio, quam hodie non magnopere desideramus?

Fideicommissa. Codicilli. Hugo. pag. 937.

710. Propter supra dictam avaritiam legum magna primum utilitas erat fideicommissorum, quae hoc tempore per jurisdictionem invaluerunt: sed illa postea Pegasiano senatusconsulto sublata est; magisque iterum praecisa sunt alio senatusconsulto D. Hadriano auctore (*d*), adeo poenae statutae sunt, senatusconsulto Planciano, in eos qui tacitam fidem accommodant (*e*). Vel sic tamen satis benigna sunt. Nam Latino Juniano proficiunt, et mulieri contra legem Voconiam (*f*), item

(*a*) Plin. Epist. II. 20. Juven. Satyr. XII. vs. 93 seq.
(*b*) Id. Paneg. 43. Suet. Calig. 38. Nero 32.
(*c*) Id. Ep. II. 16. V. 1. Paneg. 36.
(*d*) Gaj. II. 285 seq.
(*e*) Ulp. XXV. 17. L. 59. § 1. D. ad L. Falcid.
(*f*) Gaj. II. 274.

civitatibus ex senatusconsulto Aproniano (*a*). Primaria autem utilitas est, quod et heres et legatarius hoc pacto ad restituendum, manumittendum, et ad quodlibet praestandum obligentur; tum quod universe voluntas in eis, non rigor juris, legem faciat (*b*). Habent etiam proprium magistratum, neque judicio petuntur, sed extra ordinem (*c*).

711. Ubi primum hereditas vel pars hereditatis hoc modo relinqueretur, necessaria erat imaginaria uno nummo venditio, et stipulationes quae inter venditorem et emtorem hereditatis usitabantur, sed haec necessitas per senatusconsultum Trebellianum cessavit. Postea vero quam placuit ut in fideicommissis lex Falcidia locum haberet, cum ex Pegasiano senatusconsulto restitutio fit, stipulationes partis et pro parte interponuntur (supra 346); utique nisi heres invitus a praetore adire cogitur, quo casu actiones utiliter ad heredem, id est, ei et in eum, transferuntur (*d*).

712. Consequens est, ut et in codicillis relinqui possint, quae eodem tempore, partim Augusti, partim Labeonis auctoritate, recepta sunt. In his nihil solenne est; sed confirmatis tantum directo jure juberi potest, non confirmatis nonnisi fidei committi; neutris vero heres institui (*e*).

### Quaestiones.

1. Cur magis placuit ut contra legem Voconiam quam contra Papiam fideicommissa valerent?

---

(*a*) L. 26. D. ad. Senatusc. Trebell.

(*b*) Ulp. XXV. 1.

(*c*) Gaj. II. 278 seq. Conf. Suet. Claud. 23.

(*d*) Id. II. 247 seq.

(*e*) Tit. I. de codicill.

2. Quare propriam jurisdictionem habere debebant?
3. Quo modo intelligendus est Plinii locus Epist. II. 16? Conf. *Bibliothèque du Jurisconsulte* I. IV. pag. 325.

Legitima hereditas. Hugo. pag. 939.

713. In legitimis hereditatibus magna fuit mutatio Caracalla auctore (supra 615), sed brevis, et quae hodie ignoratur. Verum et alia facta est quae duravit, introducta in feminina stirpe legitima hereditate, in qua successio est, quaeque capitis deminutione non intervertitur (*a*). Namque ex senatusconsulto Tertulliano mater jure liberorum filio filiaeque suae legitima heres est, sed cum sorore consanguinea defuncti, et post suos heredes quive inter suos heredes a praetore vocantur, post patrem, adeo post fratrem consanguineum (*b*). Item contra liberi primi gradus matri suae ita heredes fiunt, ex senatusconsulto Orphitiano, remotis consanguineis et reliquis agnatis (*c*).

## Quaestio.

Constitutiones, de quibus Justinianus in § 3. I. cit. refert, an hujus aetatis sunt? Conf. Ulp. l. l. et L. 9. C. de suis et legit. (VI. 55.).

Bonorum possessio. Hugo. pag. 940.

714. In bonorum possessionibus, in quibus non minus quam in jure civili leges dominantur (*d*), praeter novam Juliani clausulam, qua cum emancipatis liberi qui in familia manserunt conjunguntur (*e*), notandae sunt D. Pii innovationes. Hic enim contra tabulas bo-

(*a*) L. 1. § 8. D. ad Senatusc. Tertull. L. 11. D. de suis et leg. hered. L. 2. § 14, 20 et 22. eod.

(*b*) §§ 2 et 3. I. de senatusc. Tertull. Ulp. XXVI. 8.

(*c*) Ulp. l. c. Tit. I. de senatusc. Orphit.

(*d*) L. 12. § 1. D. de bon. poss.

(*e*) L. 3. D. de conj. cum emanc. lib.

norum possessionem duplici modo coarctavit. 1°. Constituit ne feminae per eam plus quam jure adcrescendi consequerentur (*a*). 2°. Ut hereditates non minus quam legata praestarentur (*b*). At secundum tabulas eo ampliavit quod et legitimo heredi noceat, opposita doli mali exceptione (*c*). Praeterea notandum est militis privilegium, quo contra testamentum ejus bonorum possessio non datur, quod partim etiam D. Pio debetur (*d*).

715. In bonis libertorum legis Papiae vis cernitur. Facit enim, ut et filia patroni, et patrona, jure liberorum idem jus quod patroni habeant (*e*).

716. Eadem lex porro distinguere coepit inter locupletiores libertos, id est, centum millia habentes, et reliquos. Nam si tres liberos non relinquit locuples libertus, patrono virilis pars debetur, ejusque possessionem petere potest, licet liberi naturales et in familia sint (*f*). Idemque jus ingenuae patronae jure trium liberorum competit (*g*). Bona libertorum.

717. Quid tamen de patronae filio filiave statuerit, incertum est (*h*), neque quid in bonis libertae intestatae quatuor liberis honoratae juris esset, ipsi Veteres perspectum habuerunt: parum enim diligenter ea pars legis scripta erat (*i*).

---

(*a*) Gaj. II. 126. Conf. L. 4. C. de lib. praet.

(*b*) L. 3. § 6. L. 7. L. 8. D. de legat. praest. contra tabb.

(*c*) Gaj. II. 120. Coll. XVI. 3.

(*d*) L. 9. C. de test. milit. (VI. 21.). L. 30. D. eod. L. 1. § 4. D Si a parente quis manum.

(*e*) Ulp. XXIX. 5. Gaj. III. 49.

(*f*) Gaj. III. 42. § 2. I. de succ. libert.

(*g*) Id. III. 50. Ulp. ima parte.

(*h*) Id. III. 53.

(*i*) Id. III. 47.

Adsignatio libertorum.

718. Adsignari potest libertus (supra 604.) uni ex liberis qui in potestate sunt, vel nuda voluntate; quo efficitur ut patronum eum habiturus sit cui adsignatus sit (*a*).

Bona Latinorum.

719. A libertis autem separandi sunt Latini. Etenim Latinorum bona morientium quasi jure peculii ad manumissorem cujusque pertinent, ex ipsa lege Junia; sed hoc jus postea senatusconsulto Largiano (supra 604.) imminutum est, et ex parte ad jus patroni redactum; cumque beneficio Principis evitaretur, rursus effectum est D. Trajani edicto (607), ut qui eo beneficio cives viverent, Latini tamen morerentur; quoniam vero nunquam cives mori poterant, atque ita deteriori jure erant quam si Latini mansissent, denuo nova juris constitutione opus erat, ut illud vitium emendaretur, eaque senatusconsulto D. Hadriano auctore secuta est (*b*).

Dedititiorum.

720. Quod superest, qui dedititiorum numero sunt, eorum bona nunc ad patronos quasi civium, nunc ad manumissores quasi Latinorum jure pertinent, prout vitio cessante, vel civitate, vel Latinorum jure uterentur: id quod ex aetate manumissi, ex jure manumissoris, aut ex modo manumittendi aestimabitur.

## Quaestiones.

1. Ut hereditariae portiones non minus quam legata praestentur contra tabulas, quousque effecit Julianus, quousque D. Pius? Conf. L 5. § 6. D. de leg. praest.
2. Senatusconsulta Tertullianum et Orphitianum cur hoc tempore potissimum necessaria visa sunt? Ulp. XXVI. 7. Quid distant a jure veteri?

---

(*a*) Tit. D. de adsign. libert.

(*b*) Gaj. III. 56—74. Conf. I. 29, 66 et 67.

3. Quid causae habuisse videtur legis Papiae constitutio de liberto centenario?
4. An probanda sit Unterholzneri emendatio Gaj. III. 53? Conf. *Zeitschr* V. 1. pag. 44.
5. Cur adsignatio libertorum introducta est?
6. Eratne justa Justiniani querela de jure Latinorum? Conf. § ult. I. de succ. libert. et L. 1. C. de Lat. libert. toll. (VII. 6.).

721. Ad exemplum bonorum possessionis (*a*), nova successio introducta est D. Marci constitutione. Ex ea enim bona cuilibet (*b*) addici possunt libertatum servandarum gratia, si bona in ea causa sint ut venire debeant, atque ille recte creditoribus de solido cuique solvendo caveat (*c*). Aliae. p. u. adquisitiones. Hugo. pag. 942.

722. Quod si neque ista successio locum habeat, neque superiores, bona nunc non cedunt occupantibus, sed ex lege Papia populo deferuntur, ejusque loco postea fisco (*d*).

723. In viventium bona nova successio est ex senatusconsulto Claudiano (supra 604), cum mulier libera se, invito ac denunciante domino, servo alieno adjungere perseverat, atque ideo decreto jus dicentis illi ancilla adjudicatur (*e*). Namque eo casu mulieris bona ei adquiruntur (*f*).

724. Reliquae autem successiones hujus generis durarunt. Quae per bonorum venditionem contingit nova

(*a*) L. 4. § 21. D. de fideicomm. libert.

(*b*) L. 6. C. de testam. manum. (VII. 2.).

(*c*) L. 2 seq. D. t. c. Tit. I. de eo cui libert. causa.

(*d*) Ulp. XXVIII. 7. Id. XVII. 2. Fragm. de jure fisci passim.

(*e*) Paul. II. 21 A. 17. Gaj. I. 91 et 160. Ulp. XI. 11.

(*f*) Tit. I. de success. sublatis.

specie aucta est, ex lege Julia de bonis cedendis (*a*). Quae lex Augusti tempore lata, postea Imperatorum constitutionibus ad provincias prolata est (*b*).

Sacra. 725. Regulas de sacris privatis superioris aetatis mutatas nunc esse, non apparet; sed eas desuetudine oblitteratas fuisse, quod jam tum summa ope evitabantur, neque nunc nisi ut res antiquata commemorantur, probabile est (*c*).

### Quaestiones.

1. Quo modo conciliandae sint L. 59. pr. D. de manum. testam. et L. 4. § 17. D. de fideic. libert.? Conf. § 1. I. de eo cui libert. causa. Tacit. Annal. III. 28. *vacantia*.
2. Lex Julia de bonis cedendis an propria lex fuit, an caput legis Juliae judiciariae (conf. supra 598)?

## Sectio III. De obligationibus.

Pollicitt. et vota. Hugo. pag. 946. 726. Praeter nudas conventiones, quibus superiori aetate jam obligatio contrahebatur, propter quasve jure praetorio actio dabatur, nunc habentur pollicitationes et vota, quae ne conventionem quidem continent (*d*), ex quibus tamen obligatio nascitur, jure constitutionum, ut videtur (*e*). Huic simile est, quod D. Marcus constituit, de pactionibus inter heredem et creditores ejus qui solvendo non erat (supra 613), et quod natu-

(*a*) Gaj. III. 78.
(*b*) L. 4. C. Qui bon. cedere poss. (VII. 71.).
(*c*) Gaj. II. 55 et III. 17. Tacit. Ann. IV. 16.
(*d*) L. 3. D. de pollicitt.
(*e*) L. 14. eod.

ralis obligatio jam actionem parit, ex D. Pii constitutione.

727. Inter plures obligationes alia saepe alia potior est *(a)*.

728. Verborum obligationes id ex sua efficacitate amiserunt, quod plerumque scribi solent, et cum scriptae sunt facile factae esse creduntur *(b)*. Cautionis nomine jam scriptura designatur *(c)*. Verborum obligatio. Hugo. pag. 944.

729. Usurae modus nunc certior habetur, tam legitimae, id est centesimae, quam ex more provinciae quincuncis vel trientis *(d)*. Illam, ex constitutionibus, debet administrator qui pecunias alienas in suos usus convertit *(e)*. Ceterum modum excedere amant homines, etiam per anatocismum *(f)*, et ut olim lege lata fieri solebat, ita nunc saepe Princeps intervenit senatusconsulto, aut sua pecunia opem fert laborantibus *(g)*. Foenus. Macedonianum.

730. Ad foeneratorum avaritiam coërcendam spectat quoque senatusconsultum Macedonianum (supra 606): qui pecuniam mutuam dederit filiofamilias, is nec post mortem parentis, cujus ille in potestate sit, actionem habeat. Quod tamen varie jurisconsultorum disputatione temperatum est.

---

*(a)* Infra 772.

*(b)* L. 30. D. de verb. obl. L. 1. C. de contr. stip. (VIII. 38.). Vid. etiam Tit. C. de non num. pecun. (IV. 30.).

*(c)* Tit. C. cit. et de solutt.

*(d)* L. 4. § 1. D. de naut. foen. Paul. II. XIV. L. 1. C. de usur. pupill. (V. 56.). L. 7. §§ 4 et 10. D. de adm. et peric. L. 26. C. de usuris (IV. 32.). Obligatio praed. supra 607.

*(e)* L. 38. D. de neg. gest.

*(f)* L. 28. C. eod.

*(g)* Tacit. Ann. VI. 16. Suet. Tiberio 48. Lamprid. Alexand. 21.

731. Leges de illis latae qui pro aliis se obligant nondum exoleverunt (*a*); sed vis illarum fracta videtur usu mandatorum et fidejussorum, qui iisdem legibus non tenentur; etsi epistola D. Hadriani (609.) lex Furia quodammodo ad fidejussores traducta est. Novum est in hac re senatusconsultum Vellejanum (604), ne feminae pro aliis *intercederent*, quod verbum multas species comprehendit.

Literarum obligatio.

732. Literarum obligatione nunc vix alii quam argentarii utuntur (*b*), et cum a re in personam transcribitur, Sabino et Cassio placebat etiam peregrinos obligari (*c*).

733. Quae in juris gentium obligationibus incerta aut controversa erant, ea exeunte hac aetate partim composita sunt (*d*); multaque rescriptis Imperatorum constituta sunt quae facile nova esse possunt, veluti de rescindenda emtione ob minus pretium (*e*), et de conductore certis ex causis conductis aedibus expellendo (*f*). Novum certe est dominium, quod, ex D. Marci Oratione, socius adquirere potest, refectarum aedium (*g*). De lege commissoria in venditionibus exercenda decisa est quaestio, maxime rescriptis Severi et Antonini (*h*).

Quasi ex contractu. Hugo. pag. 944.

734. Inter obligationes, quae quasi ex contractu nasci dicuntur, est fideicommissum singularum rerum, qua

(*a*) Arg. L. 3. D. de aleator.

(*b*) Pseudo-Ascon. pag. 175. Orell. Conf. L. 9. L. 27. D. de pactis. Tit. I. de litt. oblig.

(*c*) Gaj. III. 133.

(*d*) Arg. L. 1. § 1. D. de contrah. emt. Gaj. III. 149.

(*e*) L. 2. C. de rescind. vend. (IV. 44.).

(*f*) L. 3. C. de locat. cond. (IV. 65.).

(*g*) L. 52. § 10. D. pro socio.

(*h*) L. 4. D. de lege commiss.

tenus legato per damnationem relicto adsimilatur *(a)*. Adeo aliquem fideicommisso ***obligare*** tralatitium est. Cum jure civili indebiti soluti repetitio cessat, actio utilis dari solet *(b)*.

**735.** De adquisitionibus per communem servum quaestiones nondum decisae sunt *(c)*.

**736.** Tolluntur obligationes, media hac aetate, etiam tum quaedam per aes et libram *(d)*. In solutum datio jam plenam vim habere creditur *(e)*; acceptilationem juris gentium esse placet *(f)*, et potest pro parte fieri *(g)*. Accessit novus modus obsignatio *(h)*. Chirographo reddito, saepe an liberatio facta sit necne, dubitatur *(i)*. De novatione jam reprobatae sunt Servii sententiae *(k)*; sed et haec saepe difficultates parit, quoniam animum magis quam verba spectari placet *(l)*. Q. m. toll. obligatio. Hugo, pag. 947.

## Quaestiones.

1. Cur usura centesima in Digestis vix nominatur, usque legitima? Conf. L 13. § 26. D. de actt. emti. cum Vatic. § 11.
2. Senatusconsultum Macedonianum a quo nomen habet; quem auctorem, quamque causam habuit?

---

*(a)* Vatic. § 85.

*(b)* L. 25. D. de minoribus.

*(c)* Gaj. III. 167. L. ult. C. per quas pers. nob. adq. (IV. 27.).

*(d)* Id. III. 173.

*(e)* L. 1. § 5. D. de pec. const. Id. III. 168. coll. L. 17. C. de solutt. (VIII. 43.).

*(f)* L. 8. § ult. D. de acceptill.

*(g)* L. 9 et 10. D. eod.

*(h)* L. 18. C. de usuris (IV. 32.). L. 9. C. de solutt.

*(i)* L. 14 et 15. C. de solutt.

*(k)* Gaj. III. 179.

*(l)* L. 3. D. de duob. reis. L. ult. C. de novatt. (VIII. 42.).

3. Cur apprehendebat tantum numeratam pecuniam, eamque mutuo datam, nec vero alias obligationes? L. 3. § 3. D. ad SCt. Mac.
4. An lex Plaetoria non sufficiebat?
5. Quid sibi vult *saevitia* creditorum, quam Tacitus nominat, Annal. XI. 13? Conf. Sallust. Catil. 33.
6. Quare nunc magis opus est senatusconsulto Vellejano?
7. Quî sunt argentarii *quorum nomina simul eunt*, vel *facta sunt*, in LL. citt? Adde L. 34. D. de recept. Auctor ad Herenn. II. 13. Quintil. Inst. Orat. Lib. V. Cap. 10. § 105.
8. Quo modo concilianda sunt L. 4. D. mandati et Gaj. III. 161?
9. Cur tam facile credebant homines se reddito chirographo liberatos esse? Num in ea re aliud quam solutionis praesumtionem videbant?

Ex maleficio. Hugo. pag. 948. 737. Obligationes ex delicto, quae ex vero dicantur, id est civiles, novas vix reperimus. Quod in juris universi conditione hujus aetatis cernitur, idem hic quoque non desideratur: jus publicum detrahit juri privato. 1°. Enim ubi novum facinus coërcendum usu venit, id extra ordinem coërcetur (*a*). 2°. Eadem extraordinaria crimina in antiquioribus privatis delictis invaluerunt, atque usu praevalere videntur (*b*).

738. In furto doctrinae progressio his rebus cernitur. Furtum per lancem et licium conceptum deridetur (*c*). Fundi locive furtum fieri posse negatur (*d*). Accuratius

(*a*) Tit. D. de extr. crim.

(*b*) L. ult. D. de priv. delict. L. ult. D. de furt. L. ult. D. de injur. L. 11. D. de sepulc. viol.

(*c*) Gaj. III. 193.

(*d*) § 7. I. de usucapp. Conf. Gell. XI. ult. L. 26. D. eod.

definitur quid sit furtum manifestum (*a*), et quid contrectare (*b*); item quid *ope consilio* cujusque furtum fieri (*c*). Actio ei datur cujus interest (*d*). De his quaestionibus aliquamdiu varie, ac saepe subtilius quam par est, disputatur; postremo tamen convenit.

739. In vi bonorum raptorum improbata videtur eorum sententia, qui totum quadruplum poenam esse arbitrabantur (*e*). Verum placet ut facilius cuique haec actio detur quam furti (*f*).

740. Legis Aquiliae caput secundum, quo facile careri potest, jam in eo est ut obsolescat (*g*). Ceterum legis vis per utiles et in factum actiones mirum in modum prolata est, quod tam jureconsultorum studiis quam jurisdictione praetoris effectum est (*h*). Luculli judicia hoc tempere exolevisse videntur.

741. Ubi pauperies facta est, canis lege Pesulania quadrupedibus exaequatur (*i*).

742. Injuriarum nunc ex lege Cornelia nonnisi civiliter agitur, sed addita est senatusconsulto publica quaestio de famoso libello (*k*), et ex lege perdiligenter scripta quaedam, Jureconsultorum auctoritate, ad praetoriam actionem translata sunt.

---

(*a*) Gaj. III. 184. L. 3. seq. D. de furt.
(*b*) L. 21 eod.
(*c*) L. 51 eod. L. 53 § ult. D. de verb. signif.
(*d*) Gaj. III. 203 seq. § 15. I. de obl. quae ex delict.
(*e*) Id. IV. 8. coll. L. 2. § ult. D. Vi bon. rapt.
(*f*) L. 2. § 24. eod.
(*g*) Gaj. III. 216. L. 27. § 4. D. de lege Aquil.
(*h*) L. 11 f. eod. L. 11. D. praescr. verb.
(*i*) Paul. I. XV. 1.
(*k*) L. 5 et 6. D. de injur.

**743.** An filiusfam. etiam nunc noxae dedi soleat, dubium est *(a)*.

QUAESTIONES.

1. Quid differt Pauli definitio in L. 1. §. ult. D. de furtis ab ea quae in Institutiones translata est? Vid. *Bijdragen.* VIII. 1.
2. Cum liber homo surreptus esse dicitur, veluti filiusfam., qualis fit aestimatio?
3. Quid est *auctoratus*, apud Gaj. III. 199. Coll. IX. 2? Conf. Horat. Serm. II. VII. vs. 58 ibique Scholiast. Leg. Lipsius Saturn. Lib. II. Cap. 5. (Opp. III. pag. 933.).
4. Quo modo emendanda est L. 2. § 7. D. Vi bon. rapt. et quare ita interpretatur Ulpianus? Vid. supra 435 quaest. 5, atque Savigny. l. ibi l.
5. Quid refert in causa legis Aquiliae, utilis actio detur an in factum? Num promiscue dantur?
6. Cur in L. 5. § 6. D. de injur. patri negatur actio?
7. Quae erat senatusconsulti utilitas legi Corneliae adjecti? Quae poena nunc esse videtur carminis famosi? Conf. L. 18. § 1. D. Qui testam. facere poss.
8. Quo modo factum est ut ex lege Cornelia civiliter ageretur? Conf. L. 7. § 6. L. 37. § 1. eod.

## SECTIO IV. DE ACTIONIBUS.

Legis actio. Formulae. Extraord. cognitiones. Hugo. pag. 949.

744. Mutationes quae in hac juris parte contigerunt, paucis comprehendi possunt. Legis actiones postremo per duas leges Julias (supra 598.) in tantum sublatae sunt, ut deinde non nisi ex duabus causis lege agere liceret *(b)*. Ceterum formulae quibus illae cesserunt,

(a) Theoph. ad § ult. I. de noxal. actt.

(b) Gaj. IV. 30.

hoc tempore simile fatum expertae sunt. Invaluerunt enim in dies magis extraordinariae cognitiones (*a*), eaeque postremo Diocletiani temporibus perpetuae factae videntur (*b*): qua re non quidem omnis usus formularum cessavit (*c*), sed tamen agi per formulas desiit.

745. De falsa demonstratione nunc diligentius requisitum est qua tenus nocere possit (*d*).

746. Item disputatur de noxali actione, an filiusfam. ter mancipari debeat (*e*).

747. In cognitoribus juris relaxatio invaluit. 1°. Etiam Graece cognitorem recte dari, placet, nec minus valere dationem, si quid verbis solennibus adjectum detractumve sit (*f*). 2°. Procurator apud acta constitutus cognitoris loco esse intelligitur (*g*).

**Cognitores. Judicia. Exceptiones. Interdicta.**

748. Legitima judicia non minus quam reliqua terminum nunc habent, quippe quae ex lege Julia anno et sex mensibus moriuntur (*h*).

749. Praevaluit etiam hac aetate omnia judicia esse absolutoria (*i*).

750. Inter exceptiones nunc compensatio collocanda est, quae ex D. Marci constitutione in strictis judiciis

(*a*) Tit. D. de extraord. cognitt. Paul. V. V. A. Gaj. II. 278. L. 28. D. de obl. et act. L. 10. D. de verb. signif.

(*b*) L. 3. C. de interd. (VIII. 1.). L. 2. C. Unde vi. (VIII. 6.). L. 3. C. de lib. exbib. (VIII. 8.) coll. L. 1. C. de pedan. jud. (III. 3.).

(*c*) Arg. L. 1. C. de formul. (II. 58).

(*d*) Gaj. IV. 60.

(*e*) Id. IV. 79.

(*f*) Vatic. § 319.

(*g*) Ibid. et § 331.

(*h*) Gaj. IV. 103.

(*i*) Id. IV. 114 coll. § ult. I. de perp. et temp. act.

opponi potest (a); item privilegium quarundam personarum, ut quantum facere possint condemnentur (b). Praeterea ex novis senatusconsultis: Macedoniano, Vellejano, Trebelliano, aliisque.

751. Interdicta quae hujus aetatis sint, non constat: fortasse quod legatorum, Salvianum, et fraudatorium. Sed exeunte illa interdicta reddi desierunt, cessante scilicet ordine judiciorum.

### Quaestiones.

1. Ut judices privatos dandi mos exolesceret, num ex ipsis temporibus explicari potest?
2. Quid est judex pedaneus? Zimmern. III. § 18. In primis vide L. 1. § 6. de postul. L. 3. § 1. D. Ne quis eum qui in jus vocab. L. 38. § 10. D. de poenis. Tit. C. de ped. jud. Conf. Gell. III. 18.
3. Quae est vera natura beneficii, quo quaedam personae id quod facere possunt condemnantur? An recte exceptio appellatur?

   Legatur Holtius: *Essai sur le* beneficium competentiae (*Bibliothèque* I. V.). Adde *Krit. Zeitschr.* IV. I. et IV. III.
4. Quo modo explicari potest, quod in Digestis compensatio ipso jure dicitur vim habere etiam in stricti juris obligationibus? Conf. L. 10. § 3. L. 21. D. de compensatt. Conf. § 30. I. cit. Hartter. op. cit. pag. 16.

(a) § 30. I. de actt.

(b) L. 16 seq. L. 41. § ult. D. de re jud. L. 7. D. de exceptt.

# CAPUT IV.

## DE JURE PUBLICO.

### SECTIO I. REIPUBLICAE CONSTITUTIO.

752. Populus et nomine et jure ad extrema prope hujus aetatis tempora duravit, non etiam re et facto. Magistratuum comitia ei primum ablata sunt (*a*), nec tamen ita ut species et forma non relinquerentur (supra 571, 577, et proxime quaest. 1.). Legum jubendarum potestas ei nunquam ablata est, etsi leges ad eum ferri desierunt. Leges autem, et jus civile universum, populi voluntate expressa vel tacita valere dicuntur (*b*); ex populi auctoritate fiunt arrogationes (*c*); populi dominium est in solo provinciali (*d*); ad populum bona caduca aliterve vacantia deferuntur (*e*); populi nomine judicatur de criminibus (*f*): ceterum voluntas populi non consulitur (*g*), certe suffragia non rogantur (*h*). Locum ejus partim senatus obtinet, partim miles (*i*). **Populus. Hugo. pag. 950.**

(*a*) L. 1. D. de lege Julia ambitus.
(*b*) L. 32. D. de legibus.
(*c*) Gaj. I. 98. seq. Ulp. VIII. 2. seq.
(*d*) Id. II. 7 et 21.
(*e*) Id. II. 150 et 286. III. 62. Ulp. III. 62. XXIV. 9.
(*f*) Capitol. Marco 24.
(*g*) Conf. tamen Vopisc. Tacito. 7.
(*h*) Juvenal. X. 78.
(*i*) Lamprid. Alexand. 1.

Senatus. 753. Senatus, si de jure quaeras, non de animo neque de potestate, auctus potius quam depressus hoc tempore esse videtur. Habet enim quae antea non habuerat. 1°. Magistratuum comitia, certe veterum. 2°. Jus Principem cum deligendi, tum imperio ornandi ac dignitatibus (*a*), (quod quidem jus saepe vi militari intercipitur): praeter veterem acta illius rescindendi damnandaeque memoriae potestatem (*b*). Deinde senatusconsulta de jure civili, et de criminibus, multo plura fiunt, ut quasi legum scribendarum potestatem nunc uberiorem exercere videatur. De capite civis non raro cum ampliori arbitrio cognoscit (*c*), a quo nec ad Principem appellatio est (*d*). Adde dignitatem virorum clarissimorum, quae Augusti legibus defenditur, et privilegia quae a malis Imperatoribus spreta boni saepe ei confirmarunt (*e*). Rem publicam tamen non administrat, nec domi quicquam vel audet vel potest quod Principi displiceat. Corpus est sine pectore; idque in deliberandi ratione, actisque perscriptis (servilibus ac stolidis acclamationibus) cognoscitur (*f*). In primis Diocletiani temporibus inertia ejus praeparata est.

754. Leguntur senatores a Principe (supra 568), qui censum quoque ac numerum identidem definire solet (*g*).

(*a*) Lamprid. ibid. Vopisc. Tacit. 4.

(*b*) Suet. Domit. Cap. ult. Lamprid. Heliog. 18.

(*c*) Plin. Ep. IV. 9. III. 9. II. 11. Tacit. Annal. III. 12. VI. 16. Orat. Cap. 11. extr. Suet. Calig. 53.

(*d*) L. 1. § 2. D. a quibus appell. non licet.

(*e*) Spartian. Hadr. 7. Dion. Cass. 67. Cap. 2. 68. 2. Spart. Severo. 7. Lamprid. Alex. 21.

(*f*) Lamprid. Commod. 18 seq. Alex. 6. Vopiscus. Tacito 5. Conf. Gesta in Senatu, apud Wenck. Theod. Cod. pag. 4. seq.

(*g*) Suet. Aug. 35. et 41. Spartian. Hadr. 7 et 8. Dion Cass. 68. Cap. 2.

Princeps. Hugo. pag. 951.

755. Magistratibus pristinis plures accesserunt, quorum summus est idemque perpetuus Princeps vel Imperator, ut antiquis nominibus nova vero significatione appellatur. Hic tamen a Divi Marci temporibus socium quandoque sociosve cooptat, eadem vel inferiori cum potestate, unde alii Augusti, alii Caesares nominantur. Creatur ille communiter senatusconsulto, sed urgente aut accedente militum suffragio, adeoque dicis causa populi. Praeterea possessor sibi jure civili cum adoptione tum testamento successorem designat, qui non difficillime lubricam potestatem nanciscitur. Potestatem habet Princeps eandem quam habuerunt magistratus populi Romani, et praeterea majorem. Leges tanquam consul et consulari praeditus potestate rogare potest, referre ut senatusconsulta fiant ad senatum, tam eodem jure quam propter tribunitiam potestatem (*a*), et ne fiant prohibere. Eodem magistratus jure, et partim novo (supra 584), quae velit edictis constituit, jus dicit, et de criminibus cognoscit. Candidatos senatui commendat, ac novos magistratus creat ipse (*b*), (puta consules suffectos). Senatum legit ac regit censoria sua potestate; ac propter imperium consulare habet etiam provinciarum ac legionum arbitrium. Rempublicam vero novo jure quasi Imperator administrat sua voluntate, αὐτοτέλει ἐξουσίᾳ (*c*).

Magistratus. Hugo. pag. 952.

756. Consules nunc creantur plures quam duo et ad breve tempus, dum alii aliis sufficiuntur, honoris cau-

(*a*) Lamprid. Alex. 1. Cic. ad famil. X. 16.

(*b*) Tacit. Ann. I. 15. L. 1. D. de lege Jul. de amb. Pomp. § 47. Conf. etiam L. 1. pr. D. de off. praef. praet.

(*c*) Supra 584: 4. Conf. Dion Cass. 43. Cap. 44.

sa (*a*). In rempublicam in dies minus vim habent, sed eo magis juri vacare possunt, veluti cognitionibus, manumissionibus, tutelis, aliisque civilibus negotiis. Sunt praeterea decem et octo Praetores, praeter praetorem tutelarem (*b*), vario officio; deinde Tribuni (nunc inane nomen) (*c*), Aediles, item Quaestores bene multi, qui in provincias mittuntur; aut domi epistolas Principis recitant in senatu, qui candidati Principis appellantur (*d*). In provinciis populi Romani summam rerum etiam nunc obtinent Proconsules, et Legati eorum (*e*); sed generalia mandata a Caesare, et rescripta repentina, non minus quam ipsius Legati accipiunt (*f*).

Praefecti urbis, praetorio, aerarii. Hugo. pag. 953.

757. Novi magistratus praecipui sunt praefecti praetorio, non usque duo: initio potestas militaris (ut Periti referunt, a vetusto magistri equitum instituto repetenda) (*g*), verum, a Commodi (*h*) maxime temporibus, in civilem potestatem eamque amplissimam conversa. Namque Imperatoris vice fungi intelliguntur. Nobis etiam juris peritia notabilis est, quae in pluribus illis praefectis fuit, uti Papiniano, Macrino (*i*), Ulpiano, Paulo.

758. Praefectus urbi unus potissimum urbis securi-

(*a*) Pomp. l. c. Idem. 43. Cap. 46, et 48. Cap. 35.
(*b*) Id. § 32. Capitol. Marco 10.
(*c*) Plin. I. Ep. 23.
(*d*) Tit. D. de off. quaest. Tacit. Ann. XI. 22. Gaj. I. § 6.
(*e*) L. 8. D. de off. proc. L. 4. D. de off. praesid.
(*f*) L. 6. §§ 2 et 3. eod. L. 8 eod.
(*g*) L. 1 eod. Pomp. § 19. Conf. Zosim. II. 32.
(*h*) Lamprid. Commod. 5. Herod. I. 8. Vid. etiam Dion Cass. 76. Cap. 10. L. 2. C. de off. proef. praet. Orient. (I. 26).
(*i*) Herod. IV. 12. Capitol. Macrino 13.

tati et commoditatibus prospicere debet, veluti servos ac seditiosos homines coërcere, spectaculorum disciplinam tueri, carnibus in foro pretium statuere; adeo facinora omnia persequi ac vindicare (*a*).

759. Loco quaestorum aerario praefecti praepositi sunt ex praetoriis viris, tam populi aerario, quam militari, sive fisco (*b*). In provinciis procuratores Caesaris id agunt, cum jurisdictione (*c*).

760. Iidem saepe vice Legati Caesaris provinciam administrant (*d*). Aegyptus autem praefectum habet, ex speciali Augusti lege (*e*), ut Alexandria juridicum (*f*).

761. Civitates, puta municipia et coloniae, in Italia, item quae in provinciis eodem jure utuntur, plus libertatis quam Roma retinuerunt. Nam magistratus earum etiam nunc a populo (*g*), aut a senatu creantur (*h*), non perinde interveniente Principe. Jurisdictio tamen illorum magistratuum magis praecisa esse videtur, cum certae summae modo constituto (*i*), tum Hadriano et D. Marco auctoribus, qui consulares et juridicos mittere instituerunt, qui per Italiam jus di- Civitates.

(*a*) Tacit. Annal. VI. 11. Tit. D. de off. praef. urbi.

(*b*) Dion. Cass. 55. Cap. 25. Tacit. Annal. XIII. 29. Hist. IV. 9. Gell. XIII. 24.

(*c*) Tit. D. de off. proc. Caes. L. 9. D. de off. proc. L. 2. C. ubi. causae fisc. (III. 19.).

(*d*) Supra 572. L. 3. C. eod.

(*e*) Tit. D. de off. praef. Aug. Tacit. Hist. I. 11. Annal. II. 59.

(*f*) Id. D. de off. jurid.

(*g*) L. 1. D. de lege Jul. ambit. Arg. L. 1. Theod. C. Quemadm. in munere (XII. 5.).

(*h*) L. 1. § 3. D. Quando appell. Conf. L. 11. § 1. L. 13. § 1. D. ad munic. Add. L. 21. § 7. eod. Suet. Aug. 46.

(*i*) L. 28. D. ad municip. Paul. V. V. A. 1. L. 11. D. de jurisd.

cerent (*a*). Imperium quoque illis quod habuerunt ademtum est (*b*). Supplicium sumere ne a servo quidem possunt (*c*).

762. Perpetui etiam defensores civitatum sive Syndici habentur; sed nondum ea officii potestate qua postea (*d*).

QUAESTIONES.

1. Cur populo magistratuum creandorum jus potius ablatum est quam legum ferendarum, quum tamen hoc hodie pluris habeatur?
2. Unde factum est ut senatus hoc tempore tam amplo jure esset, tamque parva potestate?
3. Quo jure cognovit hoc tempore de quibus criminibus? Leg. Dirksen. *Abhandl.* I. pag. 156 seq. et 170 seq.
4. A quo jure potest repeti Augusti ac Caesaris cooptatio?
5. Ut Imperator militum acclamationibus creetur, num id ab his quae libera quondam republica usu venerunt omnino alienum est?
6. Quid est jus quintae relationis quo senatus Principem ornare solet?
7. Quum prope cunctas suae potestatis partes Imperatores jure habere videantur, an tamen recte tyranni appellantur? Legatur Van Heusde. Diatribe in civitates antiquas. pag. 67 seq.
8. Unde ortus est mos consules sufficiendi praeter ordinarios? Vid. Dion. Cass. l. c.
9. Praefecturae praetorio, atque urbis, quo consilio insti-

(*a*) Capitol. Marco 11.

(*b*) L. 26 eod. Conf. supra 542.

(*c*) L. 12. D. de jurisd.

(*d*) L. 18. § 13. D. de muner. Conf. L. 1 et 2. C. de defensor. (I. 55.).

tutae sunt? Quam ob rem amant scriptores illas novas potestates ab antiqua origine repetere?

10. Quo modo est illius mutatio explicanda?
11. An potuit appellari hoc tempore a praefecto praetorio? Conf. L. 1. § 1. D. de off. praef. praet. et cum L. 29. C. de appell. (VII. 62.). L. 17. D. de minor.
12. Quare translata est aerarii administratio?
13. Quare Aegyptus proprio regimine utebatur?
14. Qualis fuit hoc tempore civitatum Italicarum conditio? Leg. Savigny. *Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter.* I. ed. II. p. 38.
15. Qualis provincialium? Ibid. p. 72. Walter. C. XXXI. pag. 315.
16. Quae est origo defensorum? Ibid. p. 88.

## Sectio II. Reipublicae administratio.

763. In sacris publicis mutatio est, quod multo plura peregrina adsciscuntur (*a*), et vero nova instituuntur (*b*), Romana autem tum negliguntur (*c*), tum Principis impietate profanantur (*d*). Judaei, et qui ab his non magnopere separantur, Christiani, pro ingenio cujusque Principis, nunc vexantur nunc feruntur (*e*). Hi vero magis odio (*f*), illi contemtui esse solent (*g*). Interea Christiana res invalescit, et victoria ejus de Sacra.

(*a*) Spartian. Hadr. 22. Capitol. Marco 13 et 23. Lamprid. Commod. 9. Heliogab. 1 et 3. Victor de Caes. 14. Ulp. XXII. 6. Conf. Dion Cass. 40. Cap. 47.

(*b*) Capitol. Marco 18.

(*c*) Vopisc. Aurel. 19 et 20.

(*d*) Lamprid. Heliogab. 6.

(*e*) Spartian. Severo 17. Hadr. 14. Lamprid. Alexand. 22.

(*f*) Suet. Nero. 16. Tacit. Annal. XV. 44. Conf. tamen Plin. X. Ep. 98.

(*g*) Ammian. Marcell. XXII. 5. Conf. etiam Horat. Serm. I. IX. 70. L. 1. § 3. D. de decur.

ritu Romano, quod in proxima aetate praecipuum est, praeparatur.

764. Pro auguribus et Etrusca haruspicina (*a*) nunc Chaldaeorum magis et Mathematicorum artes moris sunt (*b*): res quidem vetita, sed eo magis appetita. Fasti nunc probabiliter correcti habentur, et Princeps plerumque Pontificem maximum agit. Reliqua quoque sacerdotia ab eo saepe temperantur (*c*).

Institutio publica. Hugo. pag. 954.

765. Eloquentia Graeca et Latina, omnesque disciplinae liberales, non tantum privatim, sed etiam publice docentur, institutis cum stipendio magistris, nec solum Romae, ubi Athenaeum ab Hadriano conditum (*d*), sed in plerisque Italiae civitatibus ac provinciarum. Nominantur in illis, praeter medicos, philosophi, geometrae, grammatici, sophistae, rhetores, itemque juris professores (*e*), ad quorum scholas juvenes undique magno numero conveniunt (*f*). Bibliothecae quoque publicae non desunt (*g*).

### Quaestiones.

1. Quousque patiuntur Romani sacra peregrina? Conf. Dionys. Halic. II. pag. 91. Legatur Bynkershoek. de cultu religionis peregrinae Dissert. II. in Opusc. varii argumenti.

(*a*) Tacit. Annal. XI. 15.

(*b*) Suet. Calig. 57. Vitell. 14. Domit. 14 et 15. L. 30. D. de poenis. L. 1. § 3. D. de extr. cognitt. Ulp. in Coll. Tit. XV. Paul. V. 21. Tacit. Annal. II. 32. XII. 52. XIV. 9.

(*c*) Suet. Calig. IV. 16. Suet. Claud. 22.

(*d*) Vicror de Caes. 14.

(*e*) Plin. Epist. IV. 13. L. 6. D. de excusat. T. D. de decret. ab Ordine fac.

(*f*) Vid. II. cr. supra 634.

(*g*) Sueton. Calig. 34. Vopisc. Aurel. 1. Id. Tacit. 10.

2. Num peregrina numina adsciscere lege aut more aliquo prohibentur? Numqua lege duodecim tabularum? Cic. de legg. II. 8. Liv. IV. 30. Id. 39. Cap. 16.
3. Christiani cur apud Romanos in odium et suspicionem incurrere solent? Conf. Tacit. Annal. XV. 44. Leg. Irving. *Introd. to the study of the civil Law. London.* 1837. Ed. IV. pag. 9.
4. An decem *persecutiones* hoc tempore recte numerantur?
5. Cur facilius tolerantur Judaei?
6. Numquid Tiberius de Christianis ad senatum retulisse videtur? Conf. Tertull. Apolog. 5. ibique Havercamp. nota 9. Legatur de hac quaestione et de superioribus maxime *Plank. Geschichte der christlich-kirchlichen Gesellschafts-Verfassung.* Vol. I. pag. 45 seq. Hanover. 1803.

766. Milites nunc volones potius sunt quam conscripti (*a*), magisque provinciales quam Itali, praesertim postquam Septimius Severus praetorianos reformavit (*b*); barbari quoque, velut Germani, Belgae, Batavi, cum ad corporis custodiam Principi, tum legionum auxilia (*c*). In jure multa habent magnaque privilegia, puta liberae testamentifactionis, castrensis peculii, juris ignorantiae, ne in solidum condemnentur (*d*), mitioris supplicii (*e*), alia (*f*). Ex diverso tutores esse non possunt, nec procuratores (*g*), neque agros possi- **Res militaris.** Hugo. pag. 955.

(*a*) L. 4. § 10 D. de re militari.

(*b*) Dion Cass. Lib. 74. Herodian. II. 13 et 14.

(*c*) Id. LV. 24. Tacit. Hist. IV. 19 et 20.

(*d*) L. 18. D. de re judic.

(*e*) L. 3. §§ 1 et 10. D. de re milit.

(*f*) Juvenal. Sat. XVI. vs. 32. Tit. D. de veteranis.

(*g*) L. 7. C. de procuratt. (II. 13.).

dere in ea provincia in qua militant *(a)*. Ceterum relaxata disciplina, luxurie, splendore, audacia prae reliquis civibus cognoscuntur, quos ideoque ut Quirites et paganos contemnere solent *(b)*. Quam graves sint reipublicae et Principi, ex Historia Romana pervagatum est.

Jus belli et pacis. 767. Bella nunc tutelae magis quam adquirendi causa, nec semper felici marte, geruntur. Incipit jam barbarorum impetus, iisque tum victis tum victoribus sedes in Italia permittuntur *(c)*. Auxilia ante imperata, nunc etiam emuntur. Emitur quoque pax, quae olim dari solebat *(d)*. Postliminium adhuc in usu habetur, et de eo pactiones fiunt; nec tamen vetus jus fetiale nunc servari credibile est. Obsides subinde jus togae Romanae habent beneficio Principis *(e)*. Qui deditus et reversus non recipitur, eum nunc constat non adipisci civitatem *(f)*.

Jurisdictio. Hugo. pag. 955. 768. Novos magistratus qui nunc praeter veteres juri dicundo praesunt, juridicos qui a Caesare mittuntur, judices pedaneos; pariter extraordinariae cognitionis incrementa, cui postremo totus ***ordo judiciorum*** cessisse videtur, ac temperatam magistratuum municipalium jurisdictionem, jam notavimus *(g)*. Addendae sunt, (quarum ratio nunc conformata est), appellationes, cum a judice qui ab ipso magistratu datus est *(h)*,

*(a)* L. 9. L. 13. D. t. c.

*(b)* Tacit. Annal. I. 42. Sueton. Julio 70. Lamprid. Alexand. 52.

*(c)* Capitol. Marco 22 et 24.

*(d)* Dion Cass. 67. Cap. 7. Id. 78. Cap. 27.

*(e)* L. 32. D. de jure fisci.

*(f)* L. 4. D. de captiv. et postlim. Conf. L. ult. D. de legation.

*(g)* Vide supra 743, 754 seq. et 760.

*(h)* L. 2. D. a quibus appellari. L. 3. D. quis et a quo.

tum potissimum a magistratu minori ad majorem, a majori ad Principem, ad quem etiam *referri* solet (*a*). In propria causa altera die, in aliena intra triduum appellatur (*b*); sed tempus computatur utiliter; et dandae sunt literae, quae *apostoli* vocantur, ab eo a quo ad eum ad quem appellatum est (*c*), intra quinque dies postulandae et accipiendae. Si quis temere appellavit, poena est tripli, de qua caveri solet si non deponatur, et quadruplum expensarum. Saepe etiam fructus aliaque deponuntur (*d*). Effectus appellationis est ut interim nihil novetur (*e*). De quibusdam tamen rebus appellare non licet; in aliis appellatio non est necessaria (*f*). Quae omnia accuratissime constitutionibus, accedente Peritorum interpretatione, ordinata sunt.

769. In jus vocatio privata durare videtur (*g*), non tamen ideo violenta manus injectio (*h*), estque usitatissimum ut a magistratu quisque evocetur (*i*); simul pro vadimoniis, vel praeter ea, inducta est D. Marco auctore denunciationum commoditas (*k*). Feriae et dilationes ab eodem accuratius definitae sunt, ut fasti dies ducenti et triginta annui habeantur (*l*).

(*a*) Tit. C. de relatt. (VII. 61.).

(*b*) L. 1. § 6. D. quando appell.

(*c*) Tit. D. De libell. dimiss.

(*d*) Paul. V. 34. Conf. 33. 1.

(*e*) Tit. D. nihil innov. L. 6. D. de appell. recip. L. 3. C. de appell. (VII. 62.).

(*f*) L. 7. D. t. c.

(*g*) Plin. Panegyr. 36. Gaj. IV. 46. L. 5. § 1. D. Qui satisdare. L. 4. D. ne quis eum qui in jus vocabitur. L. 2. C. de in jus vocando. (II. 2.).

(*h*) Arg. Gell. XX. 1: *emori. 'sicut illud quoque*, e. r.

(*i*) L. 1. § 1. D. de feriis. Conf. Gell. XIII. 12 et 13.

(*k*) Victor. de Caesar. 16. L. 7. D. de inoff. testam.

(*l*) Capitol. Marco 10. L. 1. 2. 7. D. de feriis.

770. Quaedam personae ratione fori privilegium habent, puta legati, et milites (*a*): sed ignoramus id lege Julia privatorum (supra 597), an Constitutionibus, an qua alia ratione sit introductum. De testibus evocandis accuratius constitutum est, et de fide testium saluberrima D. Hadriani rescripta citantur (*b*).

771. De forma extraordinariae cognitionis pauca exstant; sed credibile est multa ex *ordine judiciorum* ibi quoque observata esse, quod res et nomina multa, postea quam omnia judicia extraordinaria facta sunt, retenta sunt: veluti litis contestationis effecta, atque regulae de cujusque actionis potestate, de exceptionibus, de probationibus, alioque judicis officio (*c*).

772. Differentia tamen esse potest, ubi arbitratu judicantis non restituitur, aliave contumacia est: non enim magistratus perinde necesse habet condemnare, cum possit res celerius imperio ejus expediri (*d*), quod maxime in fideicommissis usitatur (supra 710). Quod si facta exploranda sunt majoris indaginis, etiam arbiter dari solet, non qui judicet, verum qui de rei cujusque modo aut veritate doceat.

773. Judicati quidem etiam nunc in vincula trahuntur (*e*), neque addictio debitoris prorsus exolevisse videtur (*f*); ut plurimum vero bona a creditoribus possidentur ac proscribuntur: verum utrumque evitari potest cessione bonorum facta ex lege Julia (supra 724).

(*a*) L. 2. 5. 7. D. de judic.

(*b*) L. 1. § 2. L. 3. D. de testib.

(*c*) Conf. L. 28. C. de fidejuss. (VIII. 41.). L. 9 et 10. C. de exceptt. (VIII. 36.). L. 47. D. de neg. gest. § ult. I. de interd. Tit. I. de off. judic.

(*d*) Conf. L. 68. D. de rei vind. L. 1. § 2. D. Si ventris nomine.

(*e*) L. 23. pr. D. Ex quib. caus. maj. L. 34. D. de re iud.

(*f*) Gell. XX. 1. Gaj. III. 199.

Praeterea captis ex decreto pignoribus coërcitio est, et saepe exsecutor datur ad exsequendam sententiam (*a*). Legitimum tempus quod judicatis competit saepe prorogatur (*b*). Cum autem bona possidentur, ex senatusconsulto curator datur, qui actiones excipiat, et per quem bona distrahantur (*c*). De pactione etiam inter debitorem et creditores (*concordat*) nova juris constitutio est (*d*), ac privilegia sunt bene multa, veluti funerariae, dotis, pupilli, fisci, reipublicae; alii quasi deponentes vel rei vindicationis jure potiores sunt (*e*).

774. Advocatorum, quo nomine nunc causarum oratores appellantur, quaestuosum officium est (*f*); praesertim in centumviralibus judiciis industriam suam exercent, quae nunc primum locum obtinent (*g*).

775. Proprium quoque advocatum fiscus habet, ex D. Hadriani instituto (*h*).

### Quaestiones.

1. Quae videtur origo appellationum esse: num provocatio ad populum Romanum, an mos tribunos appellandi, an alia quaequam?
2. Quî potuit tempus appellandi tam breve esse quod hodie multo longius habetur?

(*a*) L. 3. § 8. D. de neg. gest. L. 49. D. fam. erc isc. L. 50. D. de evictt.

(*b*) L. 31. D. de re jud.

(*c*) L. 4. D. de curat. bonis dando.

(*d*) L. 7. § ult. L. 8. seq. D. de pactis.

(*e*) L. 19 seq. L. 37 et 38. D. de reb. auct. jud. poss. L. 6. D. de jure fisci. Conf. fragm. de jure fisci § 6.

(*f*) Tacit. Annal. XI. 7. Suet. Nero 17. Plin. V. Ep. 21. Conf. Dion Cass. 64. Cap. 18.

(*g*) Id. Oratt. 38. Plin. VI. Ep. 12.

(*h*) Spartian. Hadr. 20. L. 3. § 9. L. 7. D. de jure fisci. L. 1. C. de advoc. fisci. (II. 9.).

3. An hodie poenae sunt temerariae appellationis? Cur autem sunt multo leviores? Conf. *Code de Procédure*, art. 471.
4. Qua ratione quove gradu ex usu recessit privata in jus vocatio?
5. An D. Marcus vadimonia sustulit? Vid. Zimmern. III. § 117.
6. In L. 1. C. Qui bonis cedere possunt, qualis carcer intelligendus videtur, publicus an privatus?
7. Quae hac aetate mutationes cum in in jus vocatione, tum in sententiis exsequendis, tum in forma judiciorum universa observantur? an temporibus consonae et consequentes esse videntur?
8. Quare multo humilior nunc est eloquentia, etiam forensis? An vis ejus et vigor libertate alitur?
9. Advocatus fisci an publicum erat officium? Conf. fragm. de jure fisci § 17.

Crimina. Hugo. pag. 958.

776. Judicia publica satis diu eodem modo per praetores habentur, quaestiones perpetuas exercentes nomine populi (*a*); sed Princeps quoque cognoscit causas graviores, atque senatus. Praeterea in urbe omnia crimina sibi praefectura urbis vindicavit (*b*). In provinciis cognoscunt proconsules, ut olim, a quibus tamen provocari potest ad Imperatorem. Ceterum praevaluit hoc tempore cum in legitimis criminibus, tum in privatis delictis quae jure civili vindicantur, tum in his quae ex more veteri aut ex nova necessitate coërcenda videntur, ut cognosceretur extra ordinem, eaque extraordinaria cognitio postremo perpetua evasit (*c*). Porro legibus quae sunt judiciorum publicorum, continuo

(*a*) Plin. Ep. V. 21. Capitol. Marco 24.
(*b*) L. 1. D. de off. praef. urbi.
(*c*) L. 8. D. de publ. judic.

adjiciuntur per senatusconsulta et constitutiones nova capita.

777. In omnibus tamen his causis, praesertim lege Julia publicorum, accurate definitum est, qui accusare quique accusari possint, ac debent illi in crimen subscribere: quae res nunc majorem vim habet, quoniam ex senatusconsulto Turpiliano tanquam calumniatores, praevaricatores, vel ob tergiversationem puniri possunt (*a*): unde abolitio accusatori plerumque non minus quam ipsi reo utilis est (*b*).

778. Absentes inauditi non damnantur, sed annotantur et requiruntur, atque intra annum sistere possunt; post annum bona fisco vindicantur, sed defensioni illorum nulla temporis praescriptio obstat (*c*).

779. Probationis causa de servis quaestio haberi solet, nec tamen temere, neque communiter in caput domini (*d*).

780. Inter crimina quae extra ordinem vindicantur, quaedam regionibus, puta Arabiae et Aegypto (*e*), propria sunt. Publica autem sive legitima pleraque severiora facta sunt novis Augusti legibus. Majestatis crimina nunc silent nunc frequentantur, ex moribus cujusque Principis; saepe in eos qui omni crimine vacant intentantur (*f*). De adulterio et stupro multa nova constituta sunt, in quibus memorabile est jus quod pater habet occidendi adulterum cum filia, non aeque

(*a*) Titt. D. Ad senatusc. Turpil. et de praevar.

(*b*) L. 8 seq. t. c.

(*c*) Actus Apost. XXV. 16. L. 1. L. 4. § ult. D. de requir. vel abs. damn.

(*d*) L. 1. D. de quaestt.

(*e*) L. 9 et 10. D. de extr. crim.

(*f*) Plin. Panegyr. 42.

maritus (*a*). Incesti vindicatio humanior est, ac saepe remittitur, maxime in faeminis (*b*). Nulla vero est polygamiae, extra praetoris edictum. Poculum amatorium punitur, item abortivum, et infanticidium. Non minus quam olim incantatores, nunc mathematici puniuntur, item qui magicas artes profitentur, et qui hominum animos terrent novis religionibus, vel religionis causa coetus illicitos agunt (*c*). Circumcidere, praeter Judaeos, nec servum licet (*d*).

781. In poenis praecipua mutatio est, quod exulando evitari non possunt. Pro aquae et ignis interdictione deportatio in insulam usitatur (*e*). Ultimum supplicium communiter gladio, in gravioribus igne vel furca exigitur. Proximum est metallum vel simile opus perpetuum, bestiae, deportatio: quo facto libertas amittitur. Sequuntur opus ad tempus, publicatio bonorum, relegatio, interdictio re aut locis (*f*). Culeus aliquamdiu usurpatus postremo exolevisse videtur (*g*), neque omnino de Saxo praecipitatur (*h*). Notabile est carcerem poenam non esse, sed ad homines continendos usurpari (*i*). Magnopere autem personarum ratio habetur. Nam servi plurimum bestiis objicuntur, tenuiores fustibus caeduntur (*k*), decuriones autem

(*a*) L. 20 seq. D. ad L. Jul. de adult.
(*b*) L. 38. D. eod.
(*c*) L. 2. D. de extraord. crim. Paul. V. 21.
(*d*) Paul. V. 22. 3. L. 11. D. ad L. Corn. de sic.
(*e*) L. 2. § 1. D. de poenis.
(*f*) L. 6. § 2. L. 7 et 8. L. 28. eod.
(*g*) Suet. Claud. 34. Conf. L. 1. D. ad L. Pompej. de parric.
(*h*) Arg. L. 8 cit. L. 25. § 1. eod.
(*i*) L. 8 cit. § 9.
(*k*) L. 28 cit. § 2.

municipales, id est senatores civitatum, multis gravioribus eximuntur (a). Cum bona publicantur liberis portio servari solet (b). Sui caedes non semper impune committitur (c).

QUAESTIONES.

1. *Extraordinariae cognitiones*, *extraordinaria crimina*, qua verborum significatione dicuntur? Legatur Birnbaum. comment. ante cit. § 9: *Neues Archiv.* pag. 678.
2. An haec res nihil aliud est quam despotismi inventum? Conf. Gibbon. *Précis.* pag. 84.
3. An talis cognitio etiam nullo accusante agitur?
4. In crimen *subscribere* an id aliud nunc est quam Ciceronis tempore? Conf. Ps. Ascon. Divinat. pag. 118.
5. An centumviri hoc tempore de criminibus judicarunt? Conf. Phaedr. III. X. vs. 34. Ovid. Trist. II. vs. 93.
6. Cur tam periculosa erant majestatis crimina?
7. Cur lege Julia patri magis quam marito occidere permittitur?
8. Exulaudi facultas, item aquae et ignis interdictio, quo modo sublatae sunt?
9. Quare displicet ut carcer poenae loco usurpetur?
10. Cur fustium poena, hodie tam ignominiosa, apud Romanos adeo usitata erat, ac prope honesta habebatur? Vid. L. 1. § 3. L. 10. L. 28. § 3. D. de poenis. L. 22. D. de his qui not. infam. L. 13. § 4. D. de re milit.
11. Quid existimarunt Romani de *αὐτοχειρίᾳ*?

782. In pecunia publica novum rerum regimen cernitur cum praeter vetus populi aerarium, Augusto Pecunia publica. Fiscus. Hugo. pag. 960.

(a) L. 9. § 11 eod.

(b) L. 1. § 7. D. de bon. damnat.

(c) L. 3. D. de bon eor. qui ante sent. L. 6. § 7. D. de inj. rupto. L. 38. § ult. D. de poenis.

auctore aliud militare exstiterit, qui fiscus appellatur (a). Ejus primum administratio, tum arbitrium ac dominatus, est penes Caesarem; eaque primaria differentia esse videtur, cum de aerario potius, jure ac nomine, senatus statuat. Differunt tamen praeterea, etsi id singulatim demonstrari non potest, reditu et expensis (b); vix administratione, nisi primis temporibus (supra 758) (c). Procedente quidem tempore pinguiores reditus in fiscum derivati sunt (d), ceterum prope tota hac aetate manet distinctio (e). Ab utroque porro distinguendum est patrimonium Caesaris (f), quod non nisi extra ordinem publicis necessitatibus impenditur (g), quodque ille non publice sed privatim habet: quanquam fiscus quoque Principis esse dicitur (h), et rebus fiscalibus res Caesaris adsimilantur (i).

Vectigalia. Annona. 783. Tributa et vectigalia, quae superiori aetate sublata sunt per Italiam, ea nunc non sunt instaurata, sed multa nova successerunt, partim temporaria, partim perpetua. Horum praecipua sunt vicesima hereditatium ex lege Julia, et caduca ex lege Papia, item

(a) Dion Cass. LV. 25. LIII. 16. Sueton. Aug. 49.

(b) Id. eod. Tacit. Annal. I. 78.

(c) Conf. id. LIII. 2 Sueton. Aug. 36.

(d) Ulp. XVII. 2. Tacit. Annal. VI. 2 coll. Spart. Hadr. 7. Fragm. de jure fisci § 9.

(e) Id. eod. L. 15. § 1 seq. L. 42. D. de jure fisci. L. 9. § 3. D. de public. Lamprid. Alex. 16. Vopisc. Aurel. 20 extr.

(f) L. 6. § 1. D. de jure fisci. Fragm. cit. § 11. L. 39. § 10. D. de legat. I.

(g) Dion Cass. LIII. 22. Capitol. Marco 21.

(h) Plin. Panegyr. 36. Conf. Dion Cass. eod. Tacit. l. c. Seneca de benef. VII. 6.

(i) L. 2. § 4 D. Ne quid in loco publ. L. 3. § 10. D. de jure fisci. L. 3. D. de his quae pro non scriptis.

portoria quae ex omni genere mercium exiguntur (*a*). Temporaria autem varia sunt pro ingenio ac rapacitate cujusque Imperatoris: ex quibus tamen quaedam satis diuturna fuerunt (*b*). Praecipua ejus generis occurrunt: ducentesima rerum venalium (*c*), vectigal opificiorum (*d*), quadragesima litium (*e*), et bene multa dictu non honestissima, quae Caligulae, Vespasiani, ac Domitiani sollertia excogitavit (*f*). Haec a prioris fere seculi Imperatoribus instituta sunt. Posteriori aetate, nescimus quando, introductum est ut in Italia annona praestaretur (unde Italia annonaria), a qua tamen urbicaria Italia immunis erat (*g*). Aurum coronarium quoque, primum sponte donatum, ab Italiae civitatibus exigitur (*h*).

784. In provinciis vectigalia nunc stabiliori atque aequabiliori lege exiguntur, professionibus, census Romani ad exemplum, jam Augusto auctore institutis, ac postea renovatis (*i*). Decimae ac similes annonae non cessarunt (*k*), sed tamen communiter penduntur et capitatio et tributum agrorum (*l*). Hoc au- Tributa in provinciis.

(*a*) L. ult. § 7. D. de publ. et vect.

(*b*) Lamprid. Alex. 24 coll. Suet. Calig. 40 extr.

(*c*) Tacit. Annal. I. 78 et II. 42. Sueton. Calig. 16.

(*d*) Suet. ib. 40. Lamprid. l. c.

(*e*) Id. eod.

(*f*) Id. eod. et Vesp. 23. Domit. 12.

(*g*) Trebell. Pollio. Triginta Tyrann. Cap. 23 juncta L. 6. Th. C. de ann. et trib. (XI. 1.).

(*h*) Spart. Hadr. 6. Conf. Suet. Nero. 32.

(*i*) Dion Cass. l. l. Tacit. Annal. I. 31. Euangel. Lucae Cap. 2. juncto fragm. de juris spec. et manum. extr.

(*k*) Hygin. de limitt. const. ed Goes. pag. 198.

(*l*) L. ult. § 8 et 29. D. de muner. L. 8. § 7. D. de censib. L. 3 et 4 eod. Tertull. Apolog. Cap. 13.

tem gravius est in Caesaris, quam in populi provinciis *(a)*.

**Munera.** 785. Reliqua vectigalia, veluti portoria, ut ante, per publicanos exercentur *(b)*. Ubi vero hoc non fiat, exactio ad civitates, quique ibi domicilium habent, proxime vero ad decuriones, pertinet *(c)*. Id enim inter publica seu civilia munera refertur. Quorum munerum genus quidem duplex est, patrimonii et personarum, species vero infinitae. His partim ipsarum civitatium universa procuratio *(d)*, partim quoque publica populi Romani utilitas continetur. Quae igitur eo instituto, privato cuique gravissimo, non exigue levatur *(e)*.

786. Praeda quidem non omnino cessare intelligitur *(f)*, sed majori emolumento est tributum, quod a sociis nationibus exigitur *(g)*. Praeterea habentur metalla, aliaque opera publica, et publicatio, sive ut nunc nomen invaluit, confiscatio bonorum.

**Expensa.** 787. Expensarum praecipuae sunt, praeter aulam Caesaris, quibus miles, et plebs Romana, alitur. Militi non tantum stipendium exauctum est, sed etiam donativa accesserunt, multaque splendoris atque luxuriae instrumenta. Plebi gratificari solent Imperatores congiariis, frumento, viscerationibus, vino, aliaque voluptate. Opera et spectacula multo magnificentiora sumtuosioraque eduntur.

---

(a) Theoph. ad § 40. I. de rer. divis. Tacit. Annal. II. 42. Conf. quoque Strabo. Lib. XVII. C. I: *Επαρχία δε νῦν ἐστι κ. τ. λ.*

(b) Suet. Calig. 40. L. 12 f. L. 13. D. de publ. et vect.

(c) L. 1. § 1. L. 3. § 10 et 11. D. de muner.

(d) L. 1. § 2. L. ult. § 9. eod.

(e) L. 18. § 27 et 29. eod.

(f) L. 13. D. ad L. Jul. pecul.

(g) Tacit. Annal. IV. 72.

## Quaestiones.

1. Quid est *fiscus?* Pseudo-Ascon. in Verr. Orelli. pag. 135. Suet. Claud. 18.
2. Quae est ejus origo? Estne aliud aerarium militare, aliud fiscus? Conf. Dion Cass. LV. 25 cum Plin Panegyr. 36 extr. et 37.
3. Quando desiit aerarium esse a fisco diversum?
4. An procuratores Caesaris etiam Romae et in Italia habentur? qua re differunt a praefectis? Conf. Plin. l. c. L. 2. § 4 D. Ne quid in loco publ. L. 15. extr. D. de jure fisci.
5. Quae vectigalia exercentur per publicanos? Plin. Panegyr. 39. Epist. VII. 14.
6. Italia annonaria qua regione continetur, qua urbicaria? Conf. Treb. Pollio l. c. et L. 7. L. 12. L. 14. Th. C. de indulg. trib. (XI. 28.).

   Legatur Jacob. Gothofredus ad L. 9. Th. C. de ann. et trib. Tom. IV. pag. 19.
7. Num hoc tempore tota Italia annonaria, imo et agro suo tributaria facta est? Vid. Aurel. Victor. de Caes. 39. Conf. tamen Lactantius de mort. persec. Cap. 8 cum Cap. 7. (ed. Bipont. pag. 372.).

   Legatur Savigny. *Ueber die Römische Steuerverfassung. Zeitschr.* VI. III. pag. 356 et 357. Aliter Manso. *Geschichte des Ost-Gothischen Reiches in Italiën. Breslau.* 1823-1824. pag. 386.
8. Quid est *census* in Digestis? Quando desiit Romae verus census agi? Vid. Tacit. Annal. XI. 25. Censor. de die natali. Cap. 18. Treb. Pollio. Valerian. 1 et 2.
9. An census in provinciis nova et graviori ratione, Diocletiano aut Galerio auctore, actus esse videtur? Lactant. ib. Cap. 23. Conf. Manso l. c. sed vide L. 4. D. de censibus.
10. Quaenam principia fuerunt donativi atque congiarii? Dion Cass. 43 Cap. 21. Suet. Julio. 38.

Res aedilitia. Hugo. pag. 961.

788. Res aedilitia adhuc latius patet, et ideo novi etiam magistratus ei dati sunt. Atrocia incendia aliquoties urbem afflixerunt: hinc praefectus vigilum *(a)*, et nova statuta de modo aedificiorum *(b)*. Novae viae militares munitae sunt, ad cunctas amplissimi imperii partes *(c)*, et cursores publici instituti *(d)*, Opera fiunt atque instaurantur plerumque Principis auctoritate *(e)*. Ab eodem continuo nova atque inaudita spectacula eduntur. Circenses jam factionum furoribus agitantur *(f)*, periculosis saepe paci publicae. Collegia illicita efficacius coërcentur *(g)*; opificum vero corpora pleniori jure constituta sunt *(h)*, et quae annonam juvant privilegiis ornata *(i)*. Pauperibus magis Caesarum cura providetur, veluti alimentis perpetuis instituendis *(k)*; atque urbana multitudo, ut diximus ante, alitur et delectatur quodammodo sumtu publico. Ceterum huic rei in civitatibus non perinde atque Romae prospicitur. Hinc continuo in urbem confluitur; Italia vero incolis in dies decrescit, et latrociniis infestatur *(l)*.

*(a)* Tit. D. de off. praef. vigil. Dion Cass. LIV. 2. Gell. XV. 1.

*(b)* Tacit. Annal. XV. 43.

*(c)* Isid. Orig. Lib. XV. Cap. 16. Suet. Aug. 30. Dion Cass. LIII. 22. et LIV. 8. Victor de Caes. 9. Capitol. Marco 11. Vide quoque inscriptt. quas retulit Otto: de tut. viar. pag. 387 seq.

*(d)* Suet. Aug. 49. Victor ib. 13. Capitol. Pio 12. L. 18. § 4. D. de muneribus. Tit. Th. C. de cursu publico. (VIII. 5.).

*(e)* Victor ib. Spartian. Severo 23. Lamprid. Alex. 24 et 25.

*(f)* Suet. Calig. 55. Vitell. 14. Capitol. Vero 6.

*(g)* Tit. D. de coll. et corp. L. 1. D. Quod cujusque univers. nomine. Conf. supra 564.

*(h)* Lamprid. Alex. 33.

*(i)* Vatic. § 235. Victor l. c.

*(k)* Supra 607 et 687.

*(l)* Sueton. Aug. 32. Tiber. 37. Seneca. Consol. ad Helv. C. 6. Juven. Sat. III. vs. 305. Dion Cass. LXXVI. 10. L. 12. f. D. de reb. auct. jud. Conf. etiam Vopisc. Probo 16, et Tertull. Apol. 2.

# TABULA RUBRICARUM.

## PROOEMIUM.



## AETAS I.

### Ab urbe condita ad praeturam urbanam.

### CAPUT I. De fontibus juris.



### CAPUT II. De jurisprudentia.



### CAPUT III. De jure privato.

### Sectio I. De personis.



### Sectio II. De rebus et de adquirendo rerum dominio.



### Sectio III. De obligationibus.

## CAPUT II. De jurisprudentia.



## CAPUT III. De jure privato.

### Sectio I. De personis.



### Sectio II. De rebus et de adquirendo rerum dominio.

Sectio III. De obligationibus.



Sectio IV. De actionibus.

## CAPUT IV. De jure publico.

### Sectio I. Reipublicae constitutio.



### Sectio II. Reipublicae administratio.



# AETAS III.

## Ab Augusto ad Constantinum Magnum.

## CAPUT I. De fontibus juris.

## CAPUT II. De jurisprudentia.

## CAPUT III. De jure privato.



### Sectio I. De personis.



### Sectio II. De rebus et de adquirendo rerum dominio.

SECTIO III. DE OBLIGATIONIBUS.



SECTIO IV. DE ACTIONIBUS.



CAPUT IV. DE JURE PUBLICO.

SECTIO I. REIPUBLICAE CONSTITUTIO.



SECTIO II. REIPUBLICAE ADMINISTRATIO.

[illegible] by Google

Bij den UITGEVER dezes zien mede het licht:

Redevoeringen van ESAIAS TEGNÉR, uit het Zweedsch, door *A. C. Holtius*. . . . . . . . . . . . . . . . *f* 1.00.

PH. W. VAN HEUSDE, Brieven over den aard en de strekking van het Hooger Onderwijs. *Derde uitgave* » 3.75.

———— Brieven over het beoefenen der Wijsbegeerte. . . . . . . . . . . . . . . . . . . » 0.90.

———— De Socratische School of Wijsgeerte voor de Negentiende Eeuw, tweede verbeterde uitgave, *met portret*. 1e deel bij Inteekening . . . . » 2.50.

J. H. PAREAU, Antiquitas Hebraica . . . . . . . . . » 4.90

———— Institutio Interpretis V. T. . . . . . . » 5.50.

A. H. L. HEEREN, Carthago in zijne Staatkunde en Handelsbetrekkingen beschouwd, door *G. Dornseiffen* » 2.40.

J. A. MULDER, Tabulae vasorum corporus hu[illegible]i. Sectio I. Tabulae vasorum. . . . . . . . . . . » 3.20.

A. C. G. SUERMAN, De calore fluidorum elasticorum specifico. *Cum tabb*. . . . . . . . . . . . . . . . » 2.[illegible]

———— De Cholerae Asiaticae itinere per Belgium Septentrionale, *cum tab. geographicis illustrato*. . . . . . . . . . . . . . . . . . . » 3.80.

J. L. C. SCHROEDER V. D. KOLK, Over het verschil tusschen doode Natuurkrachten, Levenskrachten en Ziel. Tweede druk . . . . . . . . . . . . . . . » 0.80.

KUHN, Proeve eener Antropochemie, uit het Hoogduitsch, door *A. S. Mulder*, met eene Voorrede van den Hoogleeraar C. MULDER. . . . . . . . . » 2.10.

H. E. FRITZE, Heelkundige bloedige Kunstbewerkingen, met eene Voorrede van Prof. DIEFFENBACH, met 30 platen. . . . . . . . . . . . . . . . » 5.80.

———— Armamentarium Akiurgicum. . . . . » 2.20.

005700492

Digitized by Google

y Google